

5.15.19

JOSEPHI JACOBI PLENCK,

CHIRURGIÆ Doctoris, nec non Chirurgiæ, Anatomes, atque Artis obstetriciæ Professoris Regii, publici ac ordinarii in Regia Universitate Budensi.

Tho: Howell.
1830.

DOCTRINA
DE
MORBIS VENEREIS.

Nullum credo potentius esse effrœnis libidinis antidotum, quam si quis miserrimas illas vulgivagæ veneris victimas, in nosocomiis ad hujus morbi curam institutis collectas, contempletur attentius.

VAN SWIETEN.



VIENNÆ,
APUD RUDOLPHUM GRÆFFER.

MDCCLXXIX.



VIRO

ILLUSTRI ATQUE EXPERIENTISSIMO

AUGUSTO GOTTLIEB

RICHTER,

MEDICINÆ AC CHIRURGIÆ DOCTORI

ET

PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO

IN ACADEMIA REGIA GOTTINGENSI

PRÆSIDI

COLLEGII CHIRURGORUM

REGIÆ ACADEMIÆ SCIENTIARUM GOTTINGENSIS ET STOCKHOLMENSIS, NEC NON SOCIETATIS MEDICÆ HAFNIENSIS MEMBRO,

operam hancce in devinctissimi animi testimonium consecrat

AUCTOR.

PRÆFATIO.

Nullam noſtro ævo ægritudinem haud ſolum populoſis in urbibus, verum quoque in agreſtis populi tabernis, lue venerea eſſe frequentiorem, quemque medentium ſalutiferæ artis exercitium docet. Hinc concinne admodum *Doctiſſimus*, ac *Illuſtriſſimus L. B. de* Störck popularem hunc morbum perpetuam & occulte ſerpentem appellat peſtem, qua præſtantiſſimi ſæpe homines jam in ætatis flore aut reipublicæ eripiuntur, aut adeo mutilantur, ut pleraque ad negotia inhabiles fiant. Imo cum vera peſtis raro, venerea autem perpetuo furat, hinc cum *Illuſtri* Meadio nullus dubito, genus humanum dudum jam viru venereo fuiſſe exſtinctum, niſi ejus furor, quo primum noſtris invehebatur regionibus, ſponte remiſiſſet ac invento antidoto mitigatus fuiſſet.

Habet enim teterrimus hicce morbus id cum reliquis contagiis commune, ut una ſolum ſufficiat femina immunda pluribus contaminandis familiis, pagis, ſocietatibus, cujus rei mul-

ta de nutricibus venereis apud authores proſtat obſervatio.

Accedit, quod lues hæc non raro ſeræ quoque ſobolis progeniei inhærere conſueſcat, morboſque cauſet larvatos, quorum diagnoſis accuratio perſæpe medentes eludit. Lues demum ipſa vix plures, quam male adhibitum medicinæ genus peſſundat; quivis enim idiota, tonſor, anus curationem horum ægrorum clancule ſuſcipit, cum miſeros hos ægrotos, vagi amoris conſcios, chirurgum medicumve honeſtum conſulere, intempeſtive pudeat.

Has ob rationes ſingulo anno ſcholaſtico peculiarem de morbis ſiphyliticis curſum, quem hic exhibeo, auditoribus meis tradere ſuevi. Methodum meam, gummoſo hydrargyro morbum hunc ſanandi, quam anno 1766 cum publico communicavi, iterum iterumque commendo; non ex pruritu inventoris nomine gloriandi aut libidine celeberrimis in arte viris contradicendi, quæ inſania ingratitudoque longe ab animo meo abeſt, ſed ex tredecim annorum praxi, quibus hanc methodum venereis quamplurimis

feliciter adhibui; quosve alia præparata mercurialia tardius, periculosius aut penitus non curarunt. Pericula demum exteris in regionibus ut in *Anglia* *) *Gallia* **) *Suecia* ***) aliisque in locis a Clarissimis viris cum mercurio gummoso instituta me de efficacia methodi meæ luem curandi confirmarunt.

Ut autem mercurium gummosum ex omnibus præparatis mercurialibus pro usu interno efficacissimum tutissimumque inveni, ita mercurii sublimati corrosivi solutionem aquosam pro usu externo ad ulcera pessima inveteratamque gonorrhæam sanandam deprehendi utilissimam; adeo ut his duobus remediis in solo nosocomio, quod Budæ ad praxim chirurgicam demonstran-

---

*) *A new and easy method of giving mercury by J.* Plenck. — *translated from the latin by* W. Saunders. 3 *Edit. Lond.* 1772.

**) *Méthode nouvelle d'administrer le vif-argent — ouvrage traduit du latin de* M. Plenck *par* M. Laflize *à Nancy.*

***) *Abh. der Schwedischen Akad.* 32. *Band.* 291. *S.* Odhelius *Versuche mit Mercurio gummoso.*

dam, a duobus jam annis consignatum habeo, ultra centum ægrotos, labe celtica contaminatos, coram meis auditoribus sanitati integerrimæ restituerim.

QUID demum præter commodum pro academicis prælectionibus ordinem in hoc opusculo præstiterim judicent alii.





ELENCHUS CONTENTORUM.



MORBI PERINÆI ET ANI.

Fiſtula perinæi.
—— ani.
Arctura ani.
Condylomata.

MORBI INGUINUM.

Bubones.
Phyſconia.

MORBI CUTANEI.

Maculæ.
Scabies.
Rhagades.
Pſydracia.
Herpes.
Tinea.
Alopecia.
Unguium corruptio.
Pruritus.
Lepra.
Ulcera.

MORBI OCULORUM.

Ophthalmia.
Lippitudo.
Corneæ macula.
——— ulcus.

Hypopyum.
Fiſtula lachrymalis.
Hordeolum.
Cataracta.
Amauroſis.

MORBI AURIUM.

Cophoſis.
Otorrhæa.

MORBI NARIUM.

Coryza
Ozæna.
Deformitas naſi.
Paraphonia.

MORBI ORIS.

Aphthæ.
Ulcera palati.
Scabies menti.

MORBI COLLI ET FAUCIUM.

Scrophulæ.
Angina.

MORBI OSSIUM.

Tophus.
Hyperoſtoſis.

Caries.
Spina ventosa.
Mollities.
Fragilitas.

MORBI ARTICULATIONUM.

Ganglia.
Anchylosis.

MORBI VENEREI MULIERUM.



MORBI GENITALIUM MULIEBRIUM.

Leucorrhæa.
Phlogosis genitalium.
Induratio genitalium.
Ulcera vulvæ.
—— vaginæ.


MORBI UTERI.

Menostasia.
Exulceratio uteri.
Tympanites uteri.

MORBI MAMMARUM.

Mammarum inflammatio.
—— ulcus.
—— carcinoma.

MORBI VENEREI INTERNI.



FEBRES VENEREÆ.

Venerea ſimplex.
--- exanthematica.
--- inflammatoria.
--- Lenta
--- bilioſa.
--- Intermittens.

SPASMI.

Tetanus.
Epilepſia.

ADYNAMIÆ.

Languor.
Paraplegia.
Hemiplegia.

DOLORES.

Cephalæa.
Agrypnia.
Pleurodine.
Colica.
Arthritis.
Rheumatiſmus.
Iſchias.
Oſteocopus.

Dyſpnœa.
Tuſſis.
Raucitas.

PROFLUVIA.


Ptyaliſmus.
Teneſmus.
Proctorrhæa.
Pyuria.

EMACIATIONES.

Atrophia.
Tabes.
Phthyſis.

* * *

De lue gravidarum.
--- --- infantum.
--- --- latente.
--- --- larvata.
--- --- complicata.
--- luis prophylaxi.
Formulæ medicamentorum.





DE

MORBIS VENEREIS GENERATIM.

Morbi qui a *viru venereo* excitantur, *venerei* dicuntur.

Classis CHRISTOPHORI COLUMBI anno 1493 hoc virus ex insulis Americanis in Europam tulit. A)

*) Sunt equidem plures Authores, ut BECKETUS & SANCHES, qui contendunt luem veneream in Italia & Gallia multo fuisse antiquiorem, quam COLUMBI reditum ex America. Idem WEIDMANUS de Germania putat. At scriptores seculi XIV & XV solummodo de morbis & ulceribus penis scripserunt, quæ homines luxuriosi ex concubitu cum femina leprosa vel alio vitio immunda, contraxerunt. Nam hæc mala erant topica, nunquam in luem veneream abibant ac sine mercurio sanabantur. Lues venereæ veræ tanta erat crudelitas, ut nunquam tot medicorum, qui ante COLUMBI reditum scripserunt, notitiam fugisset, aut absque nomine proprio mansisset, si ante hæc tempora in Europa dominata fuisset. *V. Cel.* ASTRUC *lib. de morb. venereis*, Tom. II.

Inde in obſidione Neapolitana hoc virus adeo vulgatum fuit, ut ab exercitu obſidentium *malum Gallicum* ab obſeſſis *Neapolitanum*, ab iis qui ex America novum malum Hiſpalin adtulerunt, *Hiſpanicum* dictum ſit. *)

Videtur virus venereum degeneratio eſſe morbi Americani *Yaws* dicti, inſulis Antillis potiſſimum endemii.

Hunc morbum aliud clima exaſperavit, ut etiam noſtro ævo venerea lues eo ſævior ſit, quo regio magis ad ſeptentriones vergit. **)

---

*) Alii hanc luem *ſiphylidem* vocant a SIPHYLO, qui regis ALCITHOI greges paſcens, illorum numero & pulchritudine ſuperbus ſoli inſultavit, ad cujus ſuperbiam puniendam imiſſa fingitur in terram dira lues. V. *Illuſtriſs.* VAN SWIETEN *Commentar.* T. *V.* p. 372. *Edit. Lugdun.*

**) Nuper adhuc *Illuſt.* HALLERUS in *Bibliotheca medicinæ practicæ*, T. I. p. 474. opinionis fuit, morbum Americanum *Yaws* matrem eſſe noſtræ luis venereæ. Cum morbus *Yaws* coitu ac lactatione propagetur atque mercurio curetur, hinc credo originem noſtræ luis non male adeo ab illo morbo derivari, licet ſint authores, qui morbum Yaws non eſſe venereum cenſant, cum in noſtra regione Yaws non oriantur. At lues ſuis in initiis tubera in toto corpore produxit, & ego vidi ruſticum, qui toto fere in corpore etiam inter digitos pedum atque in facie condylomata habuit, quæ excreſcentiæ morbo Yaws non diſſimiles eſſe videntur. Quo aſſumpto utique conſequitur prout ſemina unius

ejus-

Nova hæc lues in Europa ſuis in initiis multo acrior fuit, continuo enim peſſimis ulceribus & tuberibus univerſum aggrediebatur corpus. Temporis ſucceſſu ejus furor ſenſim ſponte remiſit.

PROPRIETATES hujus miaſmatis ab omnibus huc uſque notis acrimoniis & contagiis ſunt penitus diverſæ, hinc *miaſma ſui generis* eſt. Eſt autem hoc virus

1. *Tenuiſſimum*, minima enim vaſcula & poros noſtri corporis intrat.

---

ejuſdemque plantæ pro diverſitate cœli, ſoli & culturæ plurimum diverſa folia, flores & fructus gerunt, ſic etiam miaſma Yaws in noſtro climate alios morbos per repetitam venerem, adhibitaque medicamenta producere potuiſſe. Originem autem morbi Yaws ab eſu fructus arboris *Muſæ*, qui panis loco in his regionibus commedi ſolet, derivat *Cel.* SCHILLIG v. *Diatribe de morbo in Europa pene ignoto*, *quem Americani vocant Jaws*. p. 9. §. 73.

Quidam a *promiſcua meretricum venere*, alii a coitu cum *leproſis*, alii ab *aſtrorum* influxu, alii ab *aëris* corruptione ob pluviarum frequentias originem contagii exiſtimant. Alii ab *hepate* affecto, alii ab *aquarum peſtilentia*, alii denique a potione vini, quod Hiſpani *ſanguine leproſorum* contaminarant; Alii ab eſu *carnium humanarum*, alii a *coitu* hominis cum *equo*; Alii denique ab ictu vel eſu cujusdam *ſerpentis* Americani ortum luis venereæ repetunt. *V. Clar.* GRUNER *morborum antiquitates.* p. 80 & 81. Alii demum a ſummo DEO in ſcorta-

2. *Fixum*, nullo enim experimento conſtat ſola exhallatione ſine attactu miaſmatis quemdam fuiſſe affectum.
3. *Acre inflammatorium.* Irritando enim lentas inflammationes & humorum ſpiſſitudinem phlogiſticam, lentaque ulcera producit.
4. *Affinitatem* cum *mucoſis* & *oleoſis* humoribus habet. Hinc glandulas muciparas & oſſa adeo ſæpe afficere amat.
5. Nec *acidum* *) nec *alcalinum*, nec *putridum*, nec *ſalſum* eſt.
6. *Noctu* ut plurimum magis furere ſolet.
7. *Solo mercurio* deleri poteſt.
8. Nunquam in noſtro corpore naſcitur, ſemper in illud *ingeritur.* **)

---

torum pœnam hanc luem eſſe datam opinantur, at hi cogitent perſæpe innocentes infantes, uxores, nutrices hac lue ſine propria culpa infici.

*) Sunt, qui opinantur miaſma venereum eſſe acidæ indolis, quia tabum venereum oſſa emollit, violaceos ſuccos rubefacit, ſalibus alcalinis & mercurio, quem acidum abſorbere dicunt, curetur. *V.* Cezan *Manuel antiſyphilitique, ou Eſſai ſur les Maladies vénériennes. Paris* 1774. p. 205. At alcalina luem curare nondum certo demonſtratum eſt. Et mercurius ſublimatus corroſivus, acido ſalis ditiſſimus, quomodo acidum venereum abſorbeat?

**) Lues *extemporanea*, quæ ſine impuro coitu ſua ſponte naſci dicitur, ut quidam authores obſervaſſe volunt, non vera lues, ſed muci urethræ ſpontanea corruptio vel lues venerea *latens* coitu vel alia cauſa ſolummodo evoluta mihi eſſe videtur.

Modus infectionis, qua hoc virus corpori ſtro ingeri ſolet, eſt *quadruplex*.

1. *Generatione ex matre venerea*, quæ cum ſanguine fœtui virus communicat. An pater cujus ſemen venereum eſt, prolem labe venerea infectum ſine matris infectione generare poſſit, dubium eſt.
2. *Lactatione* Sic infantes ſæpe a nutrice venerea & nutrices ſanæ ab infante venereo afficiuntur. *)
3. *Coitu* vel viri ſani cum muliere leucorrhæa venerea laborante, vel mulieris ſanæ cum viro gonorrhæa venerea affecto. Hæc Methodus infectionis frequentiſſima eſt. Ex centum infectis nonnaginta novem ex hac cauſa luem habent.
4. *Contactu tabi venerei*, præſertim ſi locus tangens vulneratus, vel tenui epithelio ſolumodo tectus eſt. Hinc oſculo, poculo, habitu, lectu, accubitu, tactu, acie phle-

*) Huc etiam pertinet infectio per ſuctrices ſeu feminas quæ puerperis mammas exſugunt. v. Blancard *von der belagerten und entſezten Venus*. S. 477. — *Mediciniſche Verſuche und Bemerkungen einer Geſellſch. in Edimburg*. 3. *B*. 444. S. — *der Arzt, eine Wochenſchrift* 3. *B*. 637. *S*. — Blochs *mediciniſche Bemerkungen*. S. 151. *ſeu geſchichte einer durch eine Auſſaugerin auf viele familien verbreiteten veneriſchen Krankheit.*

botomi aut cubi ſacrificatorii lues communicata legitur. *)

Rara eſt hominum *idioſyncraſia*, qui his quatuor modis non afficiuntur.

Pars primum a viru tacta, primum afficitur. Quandoque tamen at rariſſime obſervatur miaſma partem primo tactam non afficere, ſed ab ea abſorberi & ad aliam corporis partem ilico migrare.

Primarius in parte affecta miaſmatis *effectus* eſt.

1. *Irritatio* partium ſolidarum, unde inflammatio lenta & affluxus humorum.
2. *Mutatio* humorum in *liquidum puriforme*; hinc humoris puriformis effluxus vel accumulatio in parte affecta.
3. Demum *exulceratio* lardacea ſequitur.

Miaſma tandem, a parte primum affecta *abſorptum*, in alia parte, quandoque in toto corpore morbos primario effectui ſimiles producit, pro ſola varietate partium affectarum varios.

Hinc optima luis venereæ diviſio fieri poteſt

1. in luem *topicam*, quæ unam ſolumodo partem occupat.
2. --- --- *univerſalem*, quæ totum jam inficit corpus.
3. --- --- *larvatam* quæ ſub alius morbi facie latet.
4. --- --- *complicatam* quæ cum alio morbo complicatur.

---

*) *Illuſtriſs.* VAN SWIETEN *Comment.* T. v. p. 378

Curatio luis venereæ exigit 1. *ablationem* miasmatis venerei 2. *reparationem* partium solidarum fluidarumque a miasmate depravatarum.

Ingens est medicamentorum farrago, quorum vis medicata ad auferendum miasma venereum laudata fuit. Cum autem temporis successu hæc medicamenta suis laudibus non responderent, ea iterum oblivioni tradebantur, aut solum ut remedia *secundaria* adhibebantur. Efficaciora ex his sunt *lignum guajacum* — *lignum sassafras* — *Radix sarsaparillæ* — *bardanæ* — *chinæ nodosæ* — *Cortex rad. mezeræi* — *Herba cicutæ* — *stipites dulcamaræ* — *lobellia syphilitica* — *antimonium crudum.* *) *Gratiola* **)

Docuerunt vero innumera experimenta *hydrargyrum* esse unicum, optimum ac tutissimum virus venerei antidotum, quod specifice delet.

Modus autem mercurium exhibendi generatim duplex est, vel enim *externe* vel *interne* corpori applicatur.

---

*) *Cel.* Boehm *diss. varia syphilidis therapia. Argent.* 1771. prostat etiam in *Illustr.* Baldinger *sylloge selectorum opusculorum* p. 200.

**) *Cel.* Kostrzewski *diss. de gratiola. Viennæ* 1775. p. 50.

Externe applicatur

in *unguento mercuriali*

— *fumo cinnabarino*

— *lavamento* ex solutione aquosa *sublimati corrosivi.*

Interne datur

solus

mixtus vel

præparatus.

Quælibet harum methodorum est plus minus efficax, periculosa, incommoda.

INUNCTIO unguenti mercurialis dividitur

in *salivatoriam*, si unguentum tanta copia quotidie inungitur, ut salivatio excitetur, ac continuata inunctione per 6 vel 8 septimanas sustineatur.

in *exstinctoriam*, si prægresso usu 30 balneorum, purgatis primis viis, bono victu & decocto purificante diu potato unguentum omni tertio die ad ℈j vel ultra inungitur. Dosis unguenti si visum fuerit caute augenda est, si vero signa salivationis appareant, aliquot diebus ab inunctione cessandum & lene purgans exhibendum est. Aptissima inunctioni loca sunt interna extremitatum inferiorum superiorumque superficies ac regiones inguinales. Inunctio ad ignem ab ipso ægroto fieri debet.

Methodus salivatoria est valde *incommoda*; ob suffocationem & alia gravissima symptomata valde *periculosa*; ob mercurii nimis celerem elapsum e corpore valde *incerta* & *inefficax*; ob mercurii facilem metastasim ad varia corporis loca valde *timenda* & cum lues sine salivatione, ut experientia docuit, perfecte curari possit, hinc *non necessaria.*

Methodus exstinctoria ob metastases mercuriales timendas, tardam sanationem & non raro difficulter coercendam salivationem, priori methodo vix est melior.

Fumus Cinnabarinus ob periculum subitaneæ suffocationis & raro coercendam salivationem damnandus.

Levanentum ex solutione aquosa sublimati corrosivi ob incertam absorpti veneni dosim periculosissimum est.

Mercurius solus, id est crudus, majori copia deglutitus, in intestinis non absorbetur, sed per anum iterum pro maxima parte ejicitur, hinc curatio nulla & incerta.

Mixtus habetur mercurius

1. cum *oculis cancrorum* ut *mercurius alcalisatus*,
2. --- *saccharo* --- *mercurius saccharatus*.
3. *sulphure* --- *æthiops mineralis.*
4. --- *manna*, *melle crudo* vel *rheo* ut *merc. manatus*, *mellitus*, *rheatus.*

Omnia hæc admixta remedia mercurium in primis viis facile derelinquunt, hinc parum hujus metalli ſanguinem ingreditur. Ideo curatio ab his tardiſſima, incerta.

Præparatus habetur mercurius

1. Cum *acido vitrioli* ut in *turpetho minerali*,
2. — — *ſalis* ut in *ſublimato corroſivo*, in *mercurio dulci*, in *aquila alba* ſeu *calomela*,
3. — — *nitri* ut in *præcipitato rubro*
4. — — *aceti* ut in *piſis Kayſeri*.
5. — — *tartari* ut in *aqua vegetomercuriali*.
6. longa *frictione* calcinatus ut in *mercurio calcinato per ſe*.

Omnia hæc præparata mercurialia, *majori doſi* & longo tempore data, ſunt valde periculoſa, acerrimam movent ſalivationem, tormia, tabem, hæmoptoen, phthyſim. *Minori* autem *doſi* data tarde admodum & palliative tantum, non radicaliter ut multiplex experientia me docuit, curant.

Mercurius Gummosus, qui ex una parte mercurii vivi & tribus partibus gummi arabici, ope ſyrupi cichorei cum rheo in mucum contritis, conſtat, forma pilulari vel ſyrupi vel mixturæ adeo datur, ut mane ac veſperi decem grana mercurii gummoſi aſſumantur.

Hicce mercurius nec *odore* nec *ſapore* ut reliqua præparata moleſtat.

Facile *ſecundas vias* intrat, omniaque vaſa permeat.

Raro admodum *ſalivationem* movet.

Non *deponitur* metaſtatice, ut mercurius pinguedine ſubactus deponi ſolet, quia mucus arabici gummi mercurium in liquido nunquam derelinquit.

Non *acrimonia* venenata ut mercurialia ſalina nocere poteſt.

Omnibus ſubjectis etiam *infantibus*, *gravidis*, *exhauſtis* ac *debilibus* dari poteſt, quod de unguento mercuriali & præparatis ſalinis dici nequit.

Demum, ut experientia me docuit, omnes morbos venereos mercurio ſanabiles ſanat, imo plures curavi mercurio gummoſo, quos reliqua præparata mercurialia non ſanarunt.

Non indiget tædioſa *præparatione* balneorum, vacatione ab officiis, incluſione in cubiculo calido.

Non cauſat pauperibus multos *ſumptus*.

Præparatio ægroti ad uſum mercurii gummoſi exigit

1. *Venæſectionem* ſi ægrotus plethoricus eſt.
2. *Purgans* primarum viarum, quod omni decimo die repeti debet.

3. *Potum diluentem* & *obvolventem* ex ſarſaparilla, & bardana ſi ægroti temperies calida & ſtricta, aut ex ligno quajaco, ſi temperies frigida & laxa eſt.

4. *Diætam ſalubrem*, diſpepta, pinguia & acida evitentur.

5. *Aerem ſerenum*, frigus nocet, cubiculi calor & veſtitus nimium calidus ſalivam facile movet. Favente tempeſtate ambulatum pergat ægrotus.

6. Si *ſalivationis* ſigna in ore appareant, uſus mercurii ſuſpendatur per aliquot dies, & detur purgans.

7. *Balnea tepida* in lue inveterata ante & ſub uſu mercurii adhiberi debent, in lue autem non adeo inveterata his carere poſſumus.

8. Uſus mercurii *continuandus* tam diu donec omne miaſma venereum deſtructum ſit. Quod noſcitur ſi morbus venereus non amplius a mercurio mutetur ac ægrotus mercurium difficilius ferre incipiat. Tunc ſuſpendatur mercurius ac morbus conſuetis remediis tractari continuetur. *)

*) Hæc regula in praxi luis venereæ maximi eſt momenti. Multoties vidi condylomata ani & ulcera faucium, quamvis ab initio uſu mercuri interno multum mitigarentur, demum diu in eodem ſtatu

Remedium ſpecificum, quod vim ſialagogam mercurii penitus impediret, nondum innoteſcit. Nec *ſulphur*, nec *camphora*, nec *cortex peruvianus*, nec *ferrum* cum mercurio datum id præſtat. **)

Sed purgantia omni octiduo repetita, mercurii copia exigua quotidie exhibita, decocta mucilaginea, caput & collum non multum tegmine calefactum, atmoſphæra libera aëris, evitatio ſuctionis fumi nicotianæ impediunt & coercent ſalivationem.

---

manſiſſe & ægrotum, qui uſum mercurii internum diu facile ferebat, demum variis ſymptomatibus, ut laſſitudine, febricula, inappetentia, tuſſi, & oris ardore cruciatum fuiſſe. Omnia hæc ſymptomata ſuſpenſo interno mercurii uſu evanuerunt, ac ulcera & condylomata ſine uſu interno ſolis remediis externis facile curabantur ut exempla recenſebo in notis ubi de angina venerea dicturus ſum. Regulam, quam multi inculcant, mercurii formam eſſe mutandam cum alio præparato mercuriali, ſi morbus in eodem ſtatu manet, in mea praxi nunquam habui neceſſariam, nec in hoc caſu conveniret.

**) *Cel.* Blochs *mediciniſche Bemerkungen*, pag. 169.



DE
MORBIS VENEREIS SPECIATIM.

GONORRHÆA VENEREA.

Eſt muci puriformis ſtillicidium ex urethra vel glande. *)

Qui in gonorrhæa effluit humor, neque *ſemen* neque verum *pus* eſt, ſed mucus glandularum mucipararum, viru venereo in humorem acrem, flavo virideſcentem, mulierem ſanam leucorrhæa venerea ſub coitu inficientem, mutatus. **

*) Sunt qui opinantur gonorrhæam veneream anno 1540 primum innotuiſſe, at ALEXANDER BENEDICTUS jam anno 1493 gonorrhæam veneream vidit. v. HALLERI *Biblioth. Medicinæ practicæ* T. 1. p. 475. Gonorrhæa quam BECKETUS jam anno 1340, Londini obſervatam fuiſſe dicit, ex ſola laſciva ſorditie ortum habuiſſe videtur, cum remediis adeo levibus curaretur. v. *Philoſoph. Tranſactions* 30. *Band.* 359. Num. & *Cel.* LESKE *Auſerleſene Abh. aus den philoſophiſch. Transactionen.* 2. *Theil*, p. 290.

**) *Gonorrhæa* a græco vocabulo γονὴ *ſemen* & ῥέω *fluo* derivatur, verum cum in gonorrhæa venerea mucus urethræ, non autem ſemen ſtillatim effluat, hinc melius vocaretur *leucorrhæa virilis*, id eſt fluor albus virorum. Semen autem in gonorrhæa non effluere, docet potentia ſemen emittendi, quam go-

Neque *ulcus urethræ* eſt cauſa proxima gonorrhææ. Rariſſime enim ulcus cum gonorrhæa in urethra invenitur, ut cadaverum ſectiones docent. *)

Virus gonorrhoicum *non* virus a venereo diſtinctum eſſe videtur. **)

---

norrhoici habent & alia argumenta v. *Illuſtris* TODE *vom Tripper in anſehung ſeiner natur und Geſchichte.* 1774.

*) Militem ex pleuritide, cum vehementi ſimul gonorrhæa mortuum, diſſecui, in cujus urethra ruborem ac mucum flavum ex poris urethræ ſudantem vidi, nullibi autem ulcus deprehendi. Idem obſervavit nuper *Doctiſſimus*, ac *Celeberrimus Profeſſor* STOLL qui in cadavere venereo urethram deprehendit leviter inflammatam, phlogoſi ab orificio ad ſemialterum digitum procurrente; paulo ante bulbum exigua denuo canalis inflammatio fuit. Ulcera erant nullibi, ſanæ reliquæ partes urethræ, uti & teſtes & veſiculæ ſeminales. v. *Rationis medendi, pars* II, p. 402. Plures ſectiones cadaverum gonorrhæicorum recenſet *Illuſt.* MORGAGNI. *De ſedibus & cauſis morborum epiſtola* 40.

**) *Illuſt.* TODE in libro *Nöthige Erinnerungen für Aerzte und kranke, die den Tripper heilen wollen. Coppenhagen*, 1777. p. 13. contendit virus gonorrhoicum non eſſe virus venereum ſed peculiare virus, quod vulgarem luem veneream non dat, ſed alios morbos, mercurio non curabiles. Argumentis, quibus vir doctiſſimus ſuam fulciri conatus eſt opinionem, maximi momenti dubia oppoſuit *Experientiſ-*

Signa, quibus gonorrhæa venerea a *non venerea* differt, ſunt a prægreſſo coitu ſuſpecto, colore virideſcente, & dyſuria deſumenda; at unicum & certiſſimum ſignum eſt infectio ſanæ feminæ. *)

ſimus ac doctiſſimus Profeſſor Richter. v. *Chirurg. Bibliothek*, 3 *Bandes*, 3. *Stück*. 505. *Seite*. Quamvis me imbecillem nimis ſentiam, ut litem de gonorrhææ indole venerea tantos inter viros agitatam, etiam meam faciam; veritatis amore tamen confiteri cogar me dubium hærere de amplectenda *illuſtris* Todii ſententia. Ex primariis *Cel*. Todii argumentis, cur gonorrhæa morbus venereus non ſit, eſt obſervatio quod gonorrhæa ſine mercurio curetur ac quod mercurius hunc morbum non curet. Ad primum argumentum reſpondeo, virus venereum ex nulla corporis parte adeo facile ſine mercurio eliminari poſſe quam ex urethæ & vaginæ cavo, ideo ſæpe gonorrhæam ſine mercurio penitus curari. Quod uſum mercurii in gonorrhæa attinet fide honeſti viri affirmare poſſum me injectionibus mercurliaibus multas gonorrhæas & leucorrhæas curaſſe. Interim alia ſunt argumenta quibus ireſpondere nequeo v. gr. cur gonorrhæa in *Otaheita* nondum obſervetur, licet lues venerea ibi jam multos afficiat? v. Thodes *mediciniſchchirurgiſch. Bibliothek*. 7. *B*. 1. *St*. 31. *S*.

*) Bene diſtingui debet gonorrhæa venerea a non venerea. Nam effluvium puriforme ex mera genitalium impuritate, ex nativa phymoſi orta, ego in puero 3 annorum obſervari. Idem in ruſtico 24 annorum obſer-

Sedes gonorrhææ vugaris in lacunis *Morgagnianis* urethræ eſt.

Reſpectu *indolis* habetur gonorrhæa

ſimplex, quæ recens & ſine alio morbo eſt.

---

vavit *Cel.* ALIX, v. *obſervata chirurgica faſc.* II. p. 63. Gonorrhæam contrahere poteſt, qui cum femina fluore albo acri, licet non venereo, laborante concumbit. A materia arthritica ad penem depoſita, gonorrhæas vidit *Cel.* WHYTT. vid. *Neue Verſuche und Bemerk. von einer geſellſchaft zu Edimburg.* 3. *B.* 441. *S.* Ex ſaburra bilioſa primarum viarum *Cel.* OFTERDINGER gonorrhæam adnotavit. v. *Anweiſung für das Landvolk in abſicht auf ſeine geſundheit.* 1774. p. 472. Effluvium virulentum ex urethra, ſymptoma hæmorrhoidum interceptarum quandoque eſſe, *Cel.* BRENDEL aſſeverat. v. *Diſs. de hæmorrhoidibus interceptis, morbos verendorum aphrodiſiacos ſimulantibus.* in *opuſc. parte* II. pag. 77. *§.* 17. Demum a calculo veſicæ urinariæ in puriſſimo viro puriforme effluvium, quandoque ceſſans, vidi. A cereviſia recenti, a cantharidibus, ab eſu acrium tale effluvium alii fide digniſſimi viri obſervarunt. v. FORDYCE *Unterſuchung der veneriſchen Krankheiten.* p. 39. & *Ill.* SAUVAGES *noſol. methodic.* T. II. p. 401. Omnes hæ gonorrhææ non venereæ noſcuntur quod non diu durent, mox fluant, mox ceſſent, mulierem concumbentem non inficiant & ut plurimum ſua ſponte morbo, a quo oriuntur, curato, evaneſcant. Gonorrhæa autem ſeminalis, ab atonia vaſorum ejaculatoriorum, ab uſu coitus vel pollutionum nata, diſtinguitur tabe dorſali & effluvio veri ſeminis.

inveterata quæ jam longo tempore durat, *complicata* quæ cum alio morbo jungitur. Quæ cum ulcusculis penis complicatur facile luem causat, quia viris ulcere facilius absorbetur, quam sine ulcere.

1. *Gonorrhœa simplex.* Aliquot post impurum coitum dies, raro aliquot post septimanas, oritur haud ingrata titillatio in glande & urethra penis. Orificium glandis tumet, rubet, calet ac hiat; in urethræ orificio paululum saniei tenuis conspicitur; paulo post dolor ardens & acuum instar pungens inter mingendum, præcipue sub finem mictus sentitur; ac mucus flavoviridescens, quandoque striis cruentis mixtus, majori copia ex urethra stillat; tota simul urethra ad vesicæ collum usque riget.

Tandem omnis dolor & inflammationis symptomata sensim mitescunt, urina vix urit; ac mucus exstillans magis albicans & æqualis fit.

Demum nullus plane in urina reddenda percipitur dolor; mucus albus, viscidus, fili instar ductilis ex urethra stillat; sensim hujus muci copia adeo imminuitur. ut guttæ solummodo quædam intra diem aut noctem exprimi possint; tandem quoque & hoc plane cessat.

Hinc

Hinc patet totum hujus morbi decursum in quatuor periodos dividi posse.

In *periodum infectionis*, quæ a coitu impuro ad dysuriæ initium est, hæc aliquot dies ut plurimum, quandoque multo longius durat.

— — *inflammationis*, quæ dolore inflammatorio, febre, dysuria noscitur ac unam vel duas septimanas ægrotum vexat.

— — *purulescentiæ*, quæ dysuriæ absentia noscitur, aliquot vero septimanas durare solet.

— — *mucescentiæ*, quæ ex stillicidio muci excoloris & pauci noscitur.

Curatio gonorrhææ simplicis pro diversitate periodi varia est.

Periodus *inflammatoria* exigit

1. *Venæsectionem*, si dolor & inflammatio penis valida est, alias non.

2. *Decoctum emolliens* & simul *antiphlogisticum*, quod ex radice altheæ, sarsaparillæ, herba malvæ, cremore tartari, nitro & syrupo papaveris rhoeados vel seminum papaveris parari potest. Vel

3. *Emulsionem refrigerantem* ex seminibus melonum aut amygdalarum cum nitro & syrupo papaveris albi. Hæc magna copia hauriri & tam diu continuari de-

bet, ac dolor in reddenda urina percipitur.

4. *Pulverem eccoproticum* ex rheo & ſale mirabili, qui ad drachmam ſemis omni trihorio aſſumendus eſt.

5. *Diæta* ſit tenuis & antiphlogiſtica. Vinum, coitus, equitatio, pollutio evitentur.

6. In hac periodo purgantia reſinoſa, acria, balſamica ut balſamus copaivæ, terebinthina, balſamus ſulphuris, tinctura antimonii acris, ac injectiones adſtringentes valde nocent vel inflammationem augendo vel gonorrhæam cum maximo periculo ſuprimendo.

Periodus *puruleſcens* exigit

1. *Pulverem eccoproticum* cum aliquot guttis balſami copaivæ mixtum *.

2. *Potum purificantem* ex bardanæ radice.

3. *Injectionem mercurialem* ex mercurio ſublimato corroſivo grano uno & ſemis mucilagine gummi arabici uncia una & aquæ deſtillatæ libra una. Injectio ter vel quater de die repetenda. **

*) Laudant aliqui extractum borraginis & bugloſſæ. v. *Journal de pharmacie* T. alii extractum aconiti alii extractum gratiolæ in hac morbi periodo utile invenerunt.

**) Internus mercurii uſus, quamvis gonorrhææ virulentiam mutet in humorem blandiorem & ægrotum

Periodus mucescens exigit medicamenta roborantia interna ex cortice, marte, cinnamomo, quæ vino infunduntur.

II. *GONORRHÆA GLANDIS.* Est muci puriformis stillicidium ex poris excretoriis glandis.

Curatio durante periodo inflammatoria est eadem ut in gonorrhæa urethrali, durante autem periodo purulescentiæ loco injectionis mercurialis, balneatio penis in solutione mercuriali adhibeatur.

III. *GONORRHÆA HABITUALIS* seu *INVETERATA*, est gonorrhæa quæ jam a multis mensibus vel multis annis durat. *Causa* hujus speciei vel *ulcus inveteratum* in urethra vel *atonia* ductuum excretorium urethræ est.

Gonorrhæa *habitualis mucosa*, quam Angli *Gleet* dicunt, stillicidio muci tenuis, & absentia doloris topici in urethra noscitur. *Causa* hujus gonorrhææ est frequens durante gonorrhæa coitus, me-

---

ab infectione a viru venereo absorpto defendat, plane gonorrhæam tamen non auffert. Latet enim miasma in muco lacunarum urethræ, quem perpetuo fermenti instar corrumpit & in quem mercurius interne datus vix vim aliquam exercet. Injectio autem mercurialis facile mucum & in eo latens miasma venereum destruit, hinc patet cur hæc plus ad sanandam gonorrhæam contribuat, quam internus mercuri usus.

dicamenta balſamica nimis diu continuata; nativa vel ſenio vel alio morbo inducta lacunarum mucoſarum atonia.

Curatio exigit medicamenta roborantia interna & externa ut injectionem vitriolatam, balneum penis frigidum; vinum roborans ex cortice peruviano, Winteraro, marte, amaris ut gratiola.

Gonorrhæa *habitualis ulceroſa.* Noſcitur ſanie purulenta ex pene ſtillante & dolore topico in urethræ quodam loco, ſub urinæ emiſſione, candelulæ applicatione vel preſſione penis cum digito percipiendo.

Curatio exigit

1. Internum uſum *mercurii gummoſi.*
2. Applicationem *candelulæ* balſamo mercuriali illitæ.
3. *Injectionem* ſolutionis mercurii ſublimati.

DYSURIA VENEREA.

Eſt mictus ardens & dolorificus a viru venereo ortus.

Species ſunt

1. *DYSURIA INFLAMMATORIA.* Oritur ab inflammatione urethræ, quæ ardorem vividiſſimum

inter mingendum causat fine ullo muci puriformis effluxu ex urethra. Hinc authoribus quibusdam *gonorrhœa ficca* dicitur.

Curatio exigit

1. *Venæsectionem*
2. *Emulsionem refrigerantem*
3. Decoctum *radicis altheæ* vel infusum *seminis lini.*
4. *Purgans antiphlogisticum*
5. Pilulas ex *mercurio gummoso.*
6. *Peniluvium* ex lacte cum mercurio gummoso cocto &
7. *Injectionem* olei ac lactis mercurialis.

2. *DYSURIA GONORRHOICA.* Est symptoma gonorrhææ recentis; qui enim multoties repetitis gonorrhæis laborant, nulla vel levi saltem dysuria in gonorrhææ exordio corripiuntur. Quandoque vero gonorrhæam virulentam adstringentibus suppressam sequitur. Sedatur dolor vel saltem remittit quamprimum humor gonorrhoicus iterum fluere incipit.

Curatio est eadem ut in priori specie. Cave ne calidis remediis gonorrhæam revocare tentes.

3. *DYSURIA ULCEROSA*, quæ in viris ab ulcere urethræ, in feminis ab ulcere orificii urethræ oritur. Hæc species diu durat, noscitur dolore topico, de *curatione* vide ulcera urethræ.

4. *Dysuria leucorrhæica*, eſt leucorrhææ ſymptoma, quæ cum phlogoſi circa urethræ orificium complicata eſt; nam ſimplex leucorrhæa dyſuriam in ſuo exordio vix habet.

Curatur ut dyſuria gonorrhææ virilis.

ISCHURIA VENEREA.

Eſt mictus difficultas aut plane impeditus, quo urina vel tenuis fili, ſimplicis aut bifurcati forma profilit, aut guttatim ſolummodo cum ſummo connatu exprimitur.

Species ſunt.

1. *Ischuria inflammatoria.* Urethræ vel glandulæ proſtatæ inflammatio quandoque in gonorrhææ exordio aut in gonorrhæa injectionibus adſtringentibus ſuppreſſa, adeo increſcit, ut urinæ iter vel plane obturetur aut difficillimum reddatur.

Hæc ſpecies iſchuriæ a catheteris aut candelularum uſu valde exaſperari ſolet.

Curatio exigit curam antiphlogiſticam dyſuriæ inflammatoriæ, quam vide. Si hac methodo urinæ iter non brevi expediatur, tunc veſicæ punctura eſt inſtituenda & curatio antiphlogiſtica continuanda.

2. *Ischuria ab induratione glandulæ Prostatæ.* Noſcitur ex tumore frigido urethræ principium coarctante, digito in anum immiſſo optime percipitur glandulæ tumor.

Curatio exigit internum usum mercurii gummosi cum extracto cicutæ, aconiti, belladonæ, gratiolæ.

Externe unguentum mercuriale cum mandragora in lacte cocta perinæo applicetur. vid. *Schirrhus prostatæ.* Urethræ immittatur candelula.

3. *ISCHURIA AB INTUMESCENTIA NODOSA SUBSTANTIÆ CAVERNOSÆ URETHRALIS.* Hæc substantia hinc inde, ob topicam membranæ, quæ urethræ cavum format, atoniam, nodorum instar in urethræ cavum prominere solet. *Noscitur* si cathetere obstaculum glabrum & molle percipitur.

Curatio exigit usum candelularum.

4. *ISCHURIA AB INTUMESCENTIA VERUMONTANI* vel *TUBERCULO CUJUSDAM GLANDULÆ MAJORIS.* Hæ intumescentiæ quandoque spongiosæ, quandoque collosæ & induratæ sunt.

5. *ISCHURIA AB ULCERIBUS CALLOSIS & TUMIDIS URETHRÆ.* Noscitur ex effluxu purulento vel sanioso ex urethra. *Curatio* exigit candelulas balsamo mercuriali illitas.

6. *ISCHURIA A CICATRICIBUS URETHRÆ.* Quæ chordas callosas urethræ cavum coarctantes formant Cathetere noscuntur ac candelulis *curantur.*

7. *Ischuria carunculosa*, ſeu a verruca carnea, molli, in urethræ cavo poſt ulcera hujus cavi relicta vel nata. Noſci dicitur ex obſtaculo molli, quod cathetere percipitur, ac ex urinæ effluentis filo bifurcato. Rariſſime autem caruncula eſt cauſa ſtranguriæ venereæ.

Curatio uſum candelularum poſtulat.

8. *Ischuria a spontanea contractione urethræ*. Noſcitur ex filio tenui urinæ ac candelulæ immiſſione quæ urethram vel ubique vel hinc inde ſolummodo anguſtatam invenit. Hæc ſpecies omnium facillime candelulis curatur.

9. *Ischuria venerea senilis*. Homines, qui ſuam juventutem reiteratis gonorrhæis contaminarunt, poſt 50. annum levi dyſuria corripi dicuntur, quæ quandoque plures annos perſeverat, & non raro in iſchuriam abit.

Anatomica diſſectio ægrorum cum hac iſchuria mortuorum urethræ phlogoſim ac anguſtationem non autem carunculas ut vulgo putabatur, exhibuit.

Omnes hæ iſchuriæ ſpecies a prægreſſis & male curatis vel ſibi relictis gonorrhæis aut ulceribus urethræ naſcuntur. Difficillimum autem eſt ſola exploratione cum cathetere vel candelula diverſitatem cauſarum rite

diſtinguere ; Interim *curatio* hujus mali non adeo diverſa eſt ac exigit.

1. Uſum internum *mercurii gummoſi* ac decoctum *ſarſaparillæ*, his enim medicamentis labes venerea tollitur.
2. *Balnea emollientia*, quæ urethram relaxant ac candelularum introductionem facilitant.
3. Uſum *candelularum*, quibus anguſtatio urethræ dilatatur. Ab initio candelulæ tenues, ſenſim craſſiores introducantur. Statim poſt balnei uſum hæ candelulæ facillime applicantur. *)

*) Candelulæ *ex chorda* paratæ facilius, ſi magna urethræ anguſtatio adeſt, quam *candelulæ ex maſſa ceracea* ut *Goulardianæ* ſunt, applicari poſſunt, Chordæ etiam intumeſcendo urethram magis dilatant, ac ob flexilitatem diutius ſine irritatione in urethra relinqui poſſunt. v. Foot *Kritiſche unterſuchung der alten und neuen Art die krankheiten der Harnröhre zu behandeln. S.* 103. His magis adhuc præferri debent candelulæ cavæ, ex *reſina elaſtica*, quæ urinæ exitum continuo liberum ſimul ſervant. v. *Cel.* Theden *Sendſchreiben an den berühmten Herrn Profeſſor* Richter, *die neuerfundenen Catheter aus der Reſina elaſtica betreffend. Berlin* 1777. Cave ne catheterem eo plumbo, mercurio illitum, applices, facile enim plumbum a mercurio frangitur & fragmentum in veſica relictum calculo dat baſim.

VESICULÆ CRYSTALLINÆ VENEREÆ.

Sunt veſiculæ limpidæ, cryſtalli inſtar reſplendentes, ſemen ſinapis magnitudine æquantes, in glande vel præputio.

Ut plurimum aliquot poſt dies in ulcuſcula *Chancre* dictas abeunt.

Curatio peragitur interno uſu mercurii gummoſi & ablutione externa cum tenui ſolutione mercurii ſublimati.

TUBERCULA VENEREA PENIS.

Sunt tubercula piſiformia, quandoque majora, in pene.

Reſpectu *ſedis* dividuntur

1. *TUBERCULA GLANDIS* hæc juxta frœnulum in ipſa glandis ſubſtantia in *glandulis Morgagni* reſident, vel juxta coram glandis in glandulis odoriferis.
2. *TUBERCULA PRÆPUTII*, quæ præputium occupant.
3. *TUBERCULA GLANDULÆ COWPERI*, quæ ad finem crurum penis ſupra bulbum urethræ locantur.
4. *TUBERCULA ALIARUM GLANDULARUM*, quæ hinc inde in pene apparent.

Reſpectu *indolis* hæc tubercula ſunt vel *calida* vel *frigida*.

1. *Calida* noſcuntur rubore, dolore & eructatione muci gonorrhoici, ſi digitis præ-

mantur. Abeunt quandoque in ulcera profunda.

Curatio exigit resolutionem ope mercurii interne & externe adhibiti.

2. *Frigida* noscuntur duritie & absentia inflammationis. *Curantur* ut tubercula calida.

ULCERA VENEREA GLANDIS.

Sunt ulcera glandem vel internam præputii superficiem devastantia, quæ Gallis *Chancres* vocantur.

1. *Ulcera aphthosa.* Hæc a prægressis vesiculis crystallinis incipiunt, superficialia sunt, ac solutione mercuriali aliquoties de die abluta, facile sanantur.

2. *Ulcera vulgaria.* Sunt ulcuscula subrotunda in ambitu rubra, in medio grysea, aphthosis ulcusculis latiora & profundiora.

Curatio exigit usum internum mercurii gummosi. *Externe* balsamus mercurialis vel solutio sublimati applicetur.

3. *Ulcera cancrescentia.* Hæc admodum dolent, labia habent erosa & papillosa, totam glandem perrodunt. v. *Cancer penis.*

4. *Ulcera penis externa* quæ nempe in dorso vel infra vel ad latera penis, ut vidi, aliquoties oriuntur.

Curatio est ut in ulceribus glandis.

CANCER PENIS VENEREUS.

Eſt glandis vel præputii degeneratio in cancrum. Peſſima methodus eſt ſi ulcuſculum glandis, ut venenum deſtruatur, aliquoties de die lapide cauſtico, infernali vel vitriolo cæruleo angatur, ſic ſæpe ulcus venereum ſimplex glandis in peſſimum cancrum degenerat.

Reſpectu indolis cancer penis eſt duplex.

1. *CANCER VULGARIS.* Eſt ulcus malignum quo præputium & glans cum ingenti dolore conſumitur, quod conſtanter dolet, papilloſum & ſanguinolentum perpetuo eſt.

Interne mercurius gummoſus cum cicuta detur. *Externe* extractum cicutæ in ſaturata ſolutione ſublamati corroſivi ſolutum applicetur. Tentetur etiam applicatio aëris fixi.

Si hæc medicamenta non juvent tunc penis amputatio eſt facienda. Neque hæc juvat ſi glandulæ inquinales ſimul a materia cancroſa jam ut vidi induratæ deprehendantur.

2. *CANCER FUNGOSUS.* Præputium vel glans vel utrumque in ingentem, aliquot pugnorum magnitudinis fungum ſpongioſum & ſanguinolentum quandoque, a male tractatis ulcuſculis glandis, degenerat.

Curatio exigit amputationem penis, quæ ſub fine fungi cancroſi ope ligaturæ optime ac tutiſſime peragitur. *)

ULCERA VENEREA URETHRÆ.

Sunt ulcera in urethræ cavo hærentia vel ex aliis partibus pus in ejus cavum eructantia.

1. *ULCUS URETHRÆ SIMPLEX.* Noſcitur ex pertinaci gonorrhæa & dolore ac ardore topico in peculiari ac fixo urethræ loco, ſub emiſſione urinæ, tactu externo ac candelulæ applicatione percipiendo.
2. *ULCUS GLANDULÆ PROSTATÆ.* Noſcitur prægreſſo abſceſſu hujus glandulæ & facta ruptura abſceſſus in urethram. v. *Abſceſſus proſtatæ.*
3. *ULCUS VESICULÆ SEMINALIS.* Noſcitur prægreſſa inflammatione & ſuppuratione veſiculæ ſeminalis & effluxu ſeminis ex fiſtula.
4. *ULCUS GLANDULÆ CUJUSDAM MAJORIS.* Noſcitur prægreſſo tuberculo calido & pro-

---

*) Aliquot ante annos 32 annorum hominem, qui duorum pugnorum fungum venereum loco glandis & præputii habuit, ope ligaturæ perfecte ſanavi. Alium vidi, qui cancro nervo, medium penem jam depaſcente, laboravit, fuit penis cultro amputatus at cancer oriebatur in inquine ſiniſtro & ægrotum tabe cancroſa enecuit.

fundo penis, ſuppurato & in urethram rupto. Quandoque ut vidi hæc ulcera in externam penis ſuperficiem ſimul erumpunt & urinam emittunt.

Curatio ulcerum in urethra latentium vel in eam ſe evacuantium præter uſum internum mercurii gummoſi exigit uſum candelularum balſamo mercuriali illitarum.

PHYMOSIS VENEREA.

Ex præputii intumeſcentia, quæ glandis denudationem impedit. *)

1. *PHYMOSIS INFLAMATORIA*, quæ ab inflammatione venerea præputii oritur.

Raro *ſimplex*, ut plurimum cum ulceribus, condylomatibus aut gonorrhæa glandis & præputii *complicata* eſt hæc inflammatio.

---

*) Pueris & juvenibus quibus nativa præputii anguſtia eſt, non raro ob immuditiem, ſub præputio collectam, phymoſis inflammatur & puriformis humor effluit, facile autem peniluvio ex lacte vel aqua vegeto minerali hæc phymoſis non venerea curatur. *Cel.* ALIX in ruſtico talem vidit caſum, qui ab inepto barbitonſore pro venereo habitus, divortio anſam dare potuiſſet, niſi author morbum non venereum eſſe declaraſſet. v. *obſ. chirurg. faſc.* II. p. 63.

Curatio præter venæsectionem & alia antiphlogistica interna exigit simul pilulas ex mercurio gummoso & externe peniluvium ex lacte mercuriali aut ex solutione aquosa sublimati corrosivi.

Rarissime opus est præputii dissectione, si hæc methodus rite adhibeatur, ut multoties observavi. Sola membri virilis balneatio in lacte tepido, aut aqua vegeto minerali & illitio unguenti neapolitani nihil profuit.

2. *Phymosis crystallina* est pellucida, œdematosa vel serosa præputii intumescentia.

Curatio exigit præter purgantia & internum mercurii gummosi usum peniluvium ex solutione aquosa sublimati cum spiritu vini mixta.

3. *Phymosis scirrhosa* est præputii induratio ut plurimum tuberculosa. *Interne* mercurius gummosus cum extracto cicutæ & gratiolæ. *Externe* solutio aquosa sublimati cum cicutæ & gratiolæ foliis parata convenit.

4. *Phymosis cancrosa*. Totum præputium quandoque in enormem cancrum fungosum degenerat. v. *Cancer penis.*

5. *Pymosis gangrænosa*, quandoque causticitate virus venerei, ut plurimum autem mala inflammationis medella gangræna præputii oritur. *Curatio* exigit antiseptica interna

& externa, quibus gangrænosum a sano facile separatur.

PARAPHYMOSIS VENEREA.

Est inflammatio venerea glandis, quæ præputium adeo reprimit, ut hoc colaris adinstar retro glandem reprimatur.

Hic morbus bene distinguendus est a paraphymosi non venerea quæ a violenta præputii repressione sub coitu quandoque contingit.

Species paraphymoseos venereæ sunt

1. *Paraphymosis inflammatoria* quæ ut plurimum cum ulceribus aut condylomatibus glandis complicatur, exigit præter venæsectionem & internum mercurii gumosi usum, simul balneum penis ex solutione sublimati ac retractionem præputii, si possibilis est.

2. *Paraphymosis gangrænescens.* Si glandis gangræna instet, quam livor glandis docet, tunc retractum præputium lateralibus incisionibus dilatari ac antrorsum trahi debet.

Gangræna glandis exigit in & externe applicata antiseptica. Rarius hæc gangrænæ ultra glandem serpit, hinc ejus amputatio nunquam, ut vidi, necessaria est.

PRIA-

PRIAPISMUS VENEREUS.

Eſt penis ingrata, non libidinoſa ac diu durans erectio.

1. *PRIAPISMUS GONORRHOICUS.* Oritur ab urethræ inflammatione, hinc dyſuriæ ac gonorrhææ inflammatoriæ ſymptoma eſt.

Curatio exigit mercurium gummoſum & antiphlogiſtica. *Vid. Dyſuriam inflammatoriam.*

2. *PRIAPISMUS CHRONICUS.* Vidi juvenem, qui jam a ſex ſeptimanis poſt gonorrhæam adſtringentibus ſuppreſſam priapiſmo ſine omni alio morbo venereo laborabat.

Curabatur interno uſu mercurii gummoſi & balneo penis ex ſolutione aquoſa ſublimati ac linimento mercuriali, quo membrum involvebatur.

SATYRIASIS VENEREA.

Eſt coeundi major cupiditas cum libidinoſa penis erectione & non raro inſequente pollutione.

1. *SATYRIASIS A COITU IMPURO.* Obſervatur in illo gonorrhææ ſtadio, quod inter infectionem & incipientem inflammationem gonorrhoicam intercedit. Hinc eſt infectionis ſignum & gonorrhææ prodromus.

Oritur ab irritatione nervorum, urethram percurrentium & veſiculas ſeminales in conſenſum trahente.

Curatio exigit ut illico injectiones ex ſolutione aquoſa ſublimati in urethram fiant, ſic aliquando ut obſervavi, gonorrhæa prævertitur.

CURVATURA PENIS VENEREA.

Eſt penis erecti incurvatio tortuoſa, vel ſurſum vel deorſum vel ad latus.

1. *CURVATURA PENIS GONORRHOICA.* Quando frenulum præputii inflammatur, tunc ſub gonorrhææ periodo inflammatoria penis inter erigendum valde tortuoſus incurvatur. Gonorrhæam cum tali curvatura complicatam dicunt authores *gonorrhœam chordatam.*

Curatio exigit antiphlogiſtica cum mercurio gummoſo V. *Dyſuria.*

2. *CURVATURA PENIS A TUBERCULIS.* A reiteratis gonorrhæis quandoque glandulæ induratæ aut nodi ſubſtantiæ cavernoſæ in urethra remanent, quæ hanc curvaturam inducunt.

Curvatura ſemper in latere, quod nodo oppoſita eſt, obſervatur. Sic nodus in dextro latere ſiniſtrorſum, in ſiniſtro dextrorſum; in parte inferiori ſurſum; in

parte ſuperiori deorſum penem curvare facit. Hi nodi ſimul urinæ & ſeminis iter reddunt difficilius.

Curatio curvaturæ exigit ablationem nodi vel tuberculi, quod vero non raro difficillimum eſt; reſolutio vel ſuppuratio tuberculi tentanda.

3. *Curvatura penis a defectu tellæ cellulosæ*, quæ quodam in penis loco ulcere ac magna ſuppuratione deſtructa fuit.

Curatio vix poſſibilis eſſe poteſt. *)

IMPOTENTIA VIRILIS VENEREA.

Eſt ſeminis ſterilis effuſio aut impedita ejaculatio.

1. *Impotentia a lue universali.* Si ſemen ſimul viru venereo corruptum eſt, tunc lui, non autem proli propagando inſerviet.

Curatio exigit mercurium gummoſum.

2. *Impotentia a vesiculis seminalibus contractis.* Hoc vitium a prægreſſis morbis venereis veſicularum ſeminalium in cadaveribus quandoque repertum fuit.

3. *Impotentia ab orificiis ductuum ejaculatoriorum concretis.* Etiam hoc ut prius vitium in cadaveribus venereorum

---

*) *Supplément au traité de M.* Petit *ſur les Maladies Chirurgicales, rédigé par M.* Lesne, & *Göttingen, gelehrte Nachrichten, zugabe von* 1778. *St.* 29.

deprehensum fuit. Utrumque vitium in homine vivente nosci nequit, utrumque est incurabile.

MORBI TESTICULORUM.

INFLAMMATIO TESTICULORUM VENEREA.

Est intumescentia calida & dolorosa unius vel utriusque testiculi.

1. *Inflammatio gonorrhoica.* Hæc sub stadio gonorrhææ inflammatorio ab urethræ consensu cum testiculis oritur, atque sedata urethræ inflammatione sponte evanescit.

Curatio hinc exigit antiphlogistica, ut urethræ inflammatio sopiatur. Testiculi tumidi sunt *suspensorio scroti* sursum ligandi.

2. *Inflammatio ab infectione topica.* A suppressa vel parcius fluente gonorrhæa & ab ulcere glandis exsiccato frequenter unus vel uterque testiculus inflammari solet.

Curatio exigit

1. Pilulas ex *mercurio gummoso*, quo fluxus gonorrhoicus sæpe restituitur & virus deletur.
2. *Emulsionem refrigerantem* ac *purgans antiplogisticum.*
3. *Cataplasma* ex farinis emollientibus in aqua vegetominerali coctis, quo dolor & inflammatio sopitur.

4. *Suſpenſorium ſcroti*, quo teſticuli tumidi ſurſum ligentur.

3. *INFLAMMATIO SUPPURATORIA.* Noſcitur teſticulus ſuppurans ſi prægreſſa ejus inflammatione in uno vel pluribus locis ſcroti fluctuatio puris percipiatur.

Curatio exigit inciſionem loci fluctuantis & emiſſionem puris V. *Ulcera ſcroti.*

INDURATIO TESTICULORUM VENEREA.

Eſt unius vel utriuſque teſticuli intumeſcentia dura, frigida, vix dolens.

1. *INDURATIO TESTICULORUM A PRÆGRESSA INFLAMMATIONE.* Hæc enim ſedata inflammatione quandoque remanet. *Curatio* exigit

   1. *Mercurium gummoſum* cum extracto cicutæ & gratiolæ.
   2. *Cataplaſmata* ex foliis cicutæ & ſeminibus lini in lacte coctis. Interdum linimentum ex bryonia, mandragora, gratiola, atque unguento neapolitano plus profuit.
   3. Quandoque *inoculatio gonorrhææ* ope candelulæ pure gonorrhoico illitæ facta profuit *)

*) Primus, quantum ſcio, *Cl.* HIRSCHEL, vide *Betrachtungen über den izigen Gebrauch des Mercurii ſubl. cor-*

2. *INDURATIO EPIDIDIMIDIS.* Hæc reſoluto quamvis tumore teſticuli per multos annos remanet.

3. *INDURATIO TESTICULI CANCROSA.* Noſcitur dolore lancinnante, duritie lapidea teſticuli, ſcirrhum inveteratum excipiente.

---

roſivi 1765. *Berlin*, mentionem inoculationis gonorrhææ in teſticulorum induratione fecit. Methodus autem gonorrhæam inoculandi ſequenti modo peragitur. Nempe immittitur in urethram viro, gonorrhæa virulenta laboranti candelula, hæcque per aliquot horas in urethra relinquitur, donec candelula bene materie gonorrhoica fuit inuncta. Jam hæc introducitur confeſtim in uretham hominis adſtantis morbo ex gonorrhæa ſuppreſſa laborantis, ibique per 4 vel 6 horas aſſervatur, donec ardor & reliqua gonorrhææ ſymptomata apparuerint. *Expertiſſimus* Chirurgus militaris ODENKIRCHEN militi 30 annorum laboranti ſcirrho teſticuli ſiniſtri, æquante duorum pugnorum magnitudinem, & lignea duritie prædito, ad tactum tantum dolente, ex gonorrhæa ante quatuor annos ſuppreſſa cauſſato, candelulam pure venereo illitam immiſſit in urethram, ibique per ſeptem horas reliquit, quo temporis ſpatio elapſo gonorrhæa cum ſuis ſymptomatibus apparere incepit, quam altero die binis novis immiſſis candelulis ita auxit, ut rivi inſtar flueret, que eam lege artis tractavit. Et jam revera ſub ejus decurſu minui animadvertit teſticulum, novam ideo fecit inoculationem, eamque ad finem vergentem tam ſæpe repetiit, donec decem hebdomadarum ſpa-

Curatio exigit exſtirpationem teſticuli, ſi funiculus ſpermaticus nondum ad annulum inquinalem uſque induratus inveniatur.

ULCERA VENEREA SCROTI.

Sunt ulcera in ſcroto a viru venereo excitata. Reſpectu *ſedis* ſunt triplicia.

1. *ULCERA SCROTI CUTANEA*, quæ in ſola cute ſedent, lata, ſuperficialia, in ambitu rubra, in medio ſordida ſunt.

Facile *curantur* interno uſu mercurii gummoſi ac externa applicatione balſami mercurialis aut ſolutionis aquoſæ ſublimati.

---

tio teſticulus affectus ita reſolutus fuerit, ut ſano perfecte ſimilis eſſet. Hoc experimentum dein ſæpiſſime in morbis teſticulorum ſemper optimo cum ſucceſſu repetiit. Inoculationes cum benigna materia gonorrhoica inſtitutæ raro ſuccedebant, nam in permutis nulla oriebatur gonorrhæa, in aliis vero mucoſa tantum, morbum plane non tollens. Quum in praxi privata non ſemper habetur virus gonorrhoicum virulentum, hinc ſuadente Celeberrimo & doctiſſimo Medico LANGE, ſervabantur ſeptem candelulæ bombice & viru venereo imbutæ per 4 & 5 menſes in vitro bene obturato; at unica ex his candelulis levem fecit gonorrhæam, quæ penitus teſticulum reſolvere non potuit. Vide *Cl.* LANGE *commentatio medico-chirurgica de ophthalmia. Tirnaviæ* 1777. p. 75.

2. ULCERA SCROTI TESTICULARIA, quæ in ſubſtantiam teſticuli penetrant, noſcuntur ſtillo, prægreſſa inflammatione, ſupuratione teſticuli & exitu ſubſtantiæ albicantis ſubfibroſæ.

Si hæc teſticuli ſubſtantia continuo exprimitur, tunc ſanato ulcere *tabes teſticuli*, vix nucis magnitudinem habentis, remanet.

Curatio exigit præter internum mercurii uſum, ut ſubſtantia teſticuli non exprimatur & ſolutio ſublimati cum balſamo commendatoris externe applicetur.

3. ULCERA SCROTI URINOSA, quæ in urethræ cavum penetrant, conum unum vel plures ſpongioſos in poſtica ſcroti parte formant, qui rubent, dolent, poſt urinæ fluxum ex urethra ſubito intumeſcunt ac dein ex innumeris poris urinam ſudoris forma eructant, ac paulo poſt aliquantum iterum demuteſcunt. *)


Curatio præter internum mercurii gummoſi uſum exigit.

1. *Candelulam cavam*, balſamo mercuriali illitam, cavo urethræ immittendam, ut ulcus in urethræ cavo apertum ſanetur atque ut ſimul fluxus & infilteratio urinæ in tellam celluloſam ſcroti impediatur.

---

*) *Illuſt. Van* SWIETEN *Comment.* T. V. p. 427.

2. *Conus fungoſus* in ſcroto ſæpius leniter exprimatur ac ſolutione aquoſa ſublimati deligetur.



MORBI GLANDULÆ PROSTATÆ.

INFLAMMATIO PROSTATÆ VENEREA.

EST inflammatio glandulæ proſtatæ a viru venereo.

Signa ſunt

1. *Senſus* gravitatis, ardoris & doloris in inteſtino recto. Totum *hypogaſtrium* quandoque dolet.
2. *Digitus* inteſtino recto immiſſus tuberbulum durum & calidum ſub collo veſicæ tangit. Si tumor admodum magnus eſt, tunc etiam in perinæo aliquantum tangitur.
3. *Mictus urinæ* difficillimus eſt ac paullatim penitus ſupprimitur.
4. *Catheter* difficillime vel plane non in veſicam immitti poteſt ac obſtaculum ante collum veſicæ offendit.
5. *Fæces alvinæ* duriuſculæ crenam exhibent impreſſam; vehementiſſimus & continuus obſervatur *teneſmus* quandoque, quamvis fæces alvinæ egerantur liquidiſſimæ.

Hæc inflammatio periculi eſt pleniſſima, non raro enim in veſiculas ſeminales totamque veſicam urinariam proſerpit & intra triduum ſphacelo veſicæ necat. *)

6. Quandoque gonorrhæa ſimul adeſt, quandoque a ſuppreſſa gonorrhæa malum eſt ortum.

Curatio exigit revocationem gonorrhææ & reſolutionem inflammationis. Hæ indicationes obtinentur.

1. Per *venæſectionem*
2. --- *emulſionem refrigerantem*
3. --- pilulas ex *mercurio gummoſo.*
4. --- Fomenta ex *farinis emollientibus* & aqua vegetominerali paratis.
5. --- *enemata* exigua ex aqua vegetominerali & emollientibus herbis parata.

ABSCESSUS VENEREUS PROSTATÆ.

Eſt tumor purulentus glandulæ proſtatæ.

1. *Abscessus clausus.* Noſcitur.
   1. ex ſignis *inflammationis præegreſſæ.*
   2. --- *tactu* tumoris in inteſtino recto ſub ſtadio inflammationis duri, jam nunc mollioris & fluctuantis.

---

*) *Cel.* Tubb *Medicamenta circa methodum luis venereæ curandæ. Upſalæ.* 1777. p. 48.

3. --- *catheteris* faciliori applicatione.

Curatio. Si proſtatæ inflammatio reſolvi ſe non ſinat, tunc

1. *Cataplaſmata* emollientiſſima perinæo applicentur, ac
2. ſimilia *enemata* ano injiciantur.
3. Si tumor inteſtino recto jam mollis & fluctuans digito percipiatur & ſua ſponte non rumpatur, tunc vel applicatione catheteris urethræ profunde immiſſi vel acu triquetra, curva, ano immiſſa aperiri poteſt.

2. *ABSCESSUS APERTUS.* Proſtatæ abſceſſus quadruplici modo rumpi ſolet

1. in *urethram*, in hanc frequentiſſime præſertim ſub applicatione catheteris ſubito rumpitur.
2. --- *inteſtinum rectum*, quod rarius contingit.
3. --- *veſicam urinariam*, quod quandoque obſervatur.
4. --- *perinœum*, quod ſæpius jam viſum fuit.

Noſcitur ruptura 1. ſi ſubito magna puris cocti copia vel ex urethra, vel ex veſica cum urina emiſſa vel ex ano vel ex abſceſſu perinæi erumpit.

2. Si urinæ iter liberum reddatur, atque febris reliquaque ſymptomata inflammatoria ſubito & penitus remittant.

Curatio abſceſſus aperti exigit injectiones detergentes vel in anum vel in urethram immittendas, quæ ulcus apertum conſolidant.

Interne detur mercurius gummoſus.

SCIRRHUS VENEREUS PROSTATÆ.

Eſt glandulæ proſtatæ induratio a viru venereo.

1. *SCIRRHUS VULGARIS.* Signa ſunt

1. Prægreſſa *inflammatio* glandulæ proſtatæ, quæ in abſceſſum non abit.
2. *tactus* tumoris duri vix dolentis in inteſtino recto.
3. Urinæ *emiſſio* difficilis
4. Fæces duriuſculæ, ano emiſſæ *crenam* in medietate impreſſam exhibentes.

Curatio exigit ut ſcirrhus reſolvatur, hinc detur

1. *Mercurius gummoſus* cum extracto cicutæ, gratiolæ & aconiti.
2. *Unguentum mercuriale* cum unguento de arthanita perinæo applicetur.
3. *Candelula* urethræ applicetur. An inoculatio gonorrhææ tentanda?

4. Si vero totalis urinæ retentio a ſcirrho proſtatæ oriatur, tunc ope lithotomi diſcindatur corpus glandulæ ſcirrhoſæ, ut glandula in ſuppurationem deduci poſſit.

2. *Scirrhus fungosus prostatæ.* Hanc peculiarem proſtatæ degenerationem attenta cum cathetere exploratio veſicæ forſitam detegere poſſet. *Medelæ* vix locus eſſe videtur. An facta lithotomia exciſio fungi aut ligatura tentanda? *)

3. *Scirrhus cancrosus.* Dolor & reliquam cancri ſigna, quæ docent ſcirrhum in cancrum abire, ſimul docent malum lethiferum adeſſe. *Cura* palliativa adhibenda.

---

*) *Celeberrimus* Zuber in cadavere viri ſeptuagenarii malæ frugis hominis, ſecta veſica urinaria fungum ingentem vidit, qui ex glandula proſtata natales duxit & totam fere veſicam explebat, ſummitate ejus excepta. Durus erat in loco originis, ſenſim ſenſimque emolleſcebat ejus habitus, nec ulli veſicæ lateri erat accretus. Diducebat hic fungus latera colli veſicæ, ideo ſub fungo perpetuum urinæ ſtillicidium contingebat. Induratio glandulæ proſtatæ, viru venereo conſtanter laceſſita, ut aliæ partes vaſculoſæ nerveæ in fungum degeneraſſe videtur. V. Zuber *Diſs. de veſicæ urinariæ morbis. Argentorati* 1771. p. 58.

MORBI PERINÆI ET ANI.

FISTULA PERINÆI VENEREA.

Est fiſtula in perinæo a viru venereo orta. *Species* ſunt.

1. *Fistula perinæi ad urethram penetrans.* Noſcitur, ſi urina ex fiſtula ſub emiſſione urinæ e multis foraminibus exit. Referunt hæ fiſtulæ conum fungoſum multis aperturis urinam quaſi exſudantem.

   Curatio præter internum uſum *mercurii gummoſi*, exigit

   1. Ut urethræ imponatur *candelula cava* balſamo *mercuriali* illita, ne urina ſub exitu ex urethra in tellam celluloſam perinæi infiltretur, ac ulcus in urethra conſolidetur

   2. Loco fiſtuloſo perinæi *balſamus mercurialis* vel *ſolutio ſublimati* applicetur.

2. *Fistula perinæi ad glandulam prostatam penetrans.* Noſcitur ex ſignis prægreſſæ inflammationis & ſuppurationis glandulæ proſtatæ, ac ſubſequente abſceſſu perinæi.

   Curatur interno uſu mercurii gummoſi ac externa applicatione balſami mercurialis vel ſolutionis mercurialis.

3. *Fistula perinæi ad vesiculam seminalem penetrans.* Noſcitur prægreſſa inflammatione & ſuppuratione veſiculæ ſeminalis, ſubſequente abſceſſu perinæi & effluxu ſeminis.

Curatur quamvis difficilius ut prior ſpecies.

FISTULA ANI VENEREA.

Eſt fiſtula in ani ambitu a miaſmate venereo orta.

1. *Fistula ani externa*, quæ a furunculo venereo ani aut condylomate male curato originem habet & inteſtinum rectum non penetrat.

Curatio peragitur uſu interno *mercurii gummoſi.* Externe ſolutio ſublimati injici vel applicari poteſt, quandoque balſamo mercuriali ſolo ſanatur.

2. *Fistula ani interna.* Ab ulcere glandulæ proſtatæ vel veſiculæ ſeminalis ut plurimum oritur. *Noſcitur* hinc ex prægreſſa inflammatione & ſuppuratione harum partium, & ſeminis ſub coitu effuſione in inteſtinum rectum. *)

Curatio tentari poteſt injectione ſolutionis mercurialis atque interno uſu mercurii gummoſi. Si ſanatio non ſuccedat, fiat diſſectio omnium partium ſubjacentium,

---

*) *Ill.* Sauvages, *Noſol. method.* T. II. p. 411.

ut medicamenta ad locum læſum ſeu fundum fiſtulæ applicari queant.

ARCTURA VENEREA ANI.

Eſt orificii ani & inteſtini recti ſpontanea contractio a viru venereo.

Curatio exigit ut contractum inteſtini orificium

1. *Candela*, balſamo mercuriali illita, dilatetur. Candelæ ſenſim adhibeantur craſſiores. Interne detur merc. gummoſus.
2. Si contractio candelis dilatari ſe non ſinat, fiant leves *ſcarificationes* orificii ani, atque continuentur candelæ. *)

CONDYLOMATA VENEREA.

Sunt excreſcentiæ fungoſæ a viru venereo ortæ.

Frequentiſſima *ſedes* harum excreſcentiarum in viris ſub præputio glandis, in feminis juxta anum eſt. Interim ea etiam in labiis vulvæ, in toto ſcroto, in inquinibus, in ore, in facie,

*) Hanc diſſectionem in quodam viro a *Cel.* BRAMBILLA cum fructu inſtitutam fuiſſe ſcio. V. *Ill.* VAN SWIETEN *Comment.* T. V. p. 451. *Cl.* SHARP quater viderat inteſtinum rectum adeo contractum circa anum ut in uno ex his ægris cavum inteſtini non excederet diametrum calami ſcriptorii, *v. Critical. Enquir. &c.* p. 143.

facie, imo ſemel ea in toto fere corpore etiam inter digitos pedis vidi.

Videtur morbus papillarum cutanearum, viru venereo irritatarum & excreſcentium eſſe.

Reſpectu *figuræ* & *magnitudinis* varia obtinent nomina, ut

1. *CONDYLOMATA CRISTOSA.* Hæc criſtis gallinaceis, fructibus rubi idæi aut mori rubri figura & magnitudine ſunt ſimilia.

   Curatio præter internum uſum mercurii ſublimati exigit ut hæ excreſcentiæ quotidie bis aqua cauſtica ad condylomata vel forti ſolutione ſublimati mediante penicillo illiniantur ac illico linimento mercuriali obtegantur. Sic facile intra aliquot hebdomata evaneſcunt *)

---

*) *Celeberrimus* chirurgus W. DEASE pluribus demonſtrat obſervationibus condylomata repetitis etiam ſalivationibus vel non evaneſcere vel ſaltem radicaliter non curari. V. *Mediciniſche Commentarien von einer Geſellſchaft der Aerzte zu Edinburg.* 4. *Th.* 304. S. Ego autem teſtari poſſum, me centies obſervaſſe ingentem numerum condylomatum mea methodo radicaliter intra 3 vel 4. ſeptimanas curari. Curatio autem non ſuccedebat, ſi loco *aquæ cauſticæ ad condylomata*, lapide infernali, vitriolo viridi aut butyro antimonii fuerim uſus. *Cel.* GARDINER condylomata vidit adeo indurata ut nullo cauſtico afficerentur, at cum hæc cepa oleo

2. *Condylomata ficosa*, quæ glabra ſunt ac figura & magnitudine ficum referunt. Hæc ſpecies craſſo pedunculo pendet, ac optime per ligaturam vel abſciſſionem auffertur.

3. *Condylomata thymosa*, quæ magnitudine & figura caput braſſicæ caulifloræ repræſentant. *) Etiam hæc ſpecies cultro vel forfice aufferri debet.

4. *Condylomata papillaria*. Quandoque tota cutis in ſcroto, vel in inquine vel circa anum minimis papillis ingenti numero ſcatet, quæ papillæ microſcopio viſæ, vera exhibent ut obſervavi condylomata minutiſſima.

Curantur eadem methodo ac condylomata criſtoſa.

---

cocta fuerint emollita, tunc inſperſo pulvere ſabinæ abigabantur. V. *Neue Verſuche und Bemerkungen einer Geſellſchaft zu Edinburg*. 3. *B*. 373. S.

*) Tum hæc ſcribo defertur in noſocomium meum puella gravida cujus ani orificium excreſcentia, infantilis capitis magnitudinem habentem ex meris condylomatibus ſex pollices & ultra longis, conſtante, adeo obſidetur ut vix ulla alvi depoſitio fieri poteſt, ſæpius de die & nocte præ dolore convellitur. Ideo forfice altero ſtatim die tota excreſcentia quæ caput maximum braſſicæ cauliforæ referebat, ab ani orificio excidebatur, hæmorrhagia non adeo magna fuit, convulſiones poſt operationem penitus ceſſabant uſu mercurii interno demum penitus curari vide-

MORBI INQUINUM.

BUBONES VENEREI.

Sunt tumores glandularum inquinalium, quorum modo unus modo plures in uno vel utroque inquine nascuntur.

Ipsorum *figura* ut plurimum teres & oblonga est. *Magnitudo* quandoque exigua, quandoque ovi columbini aut gallinacei, imo pugni magnitudinem excedit.

In nutricibus venereum infantem lactantibus bubones *sub axillis* observantur. Semel bubonem *in pube* vidi. In infantibus a venereo nutrice lactatis bubones *submaxillares* seu scrophulæ venereæ oriuntur.

Ratione *aquisitionis* habetur quadruplex bubonum varietas

1. *Bubo gonorrhoicus*, qui in gonorrhææ stadio inflammatorio persæpe observatur ac remittente inflammatione urethræ iterum sponte evanescit. Videtur hæc species e sola inflammatione urethræ per consensum nervorum oriri.

---

batur; at incidit paulo post in dysenteriam autumnalem, epidemice in furentem, peperit & post partum soporosa evadit, moritur.

Curatio bubonis consensualis exigit antiphlogistica.

2. *BUBO AB INFECTIONE TOPICA.* Miasma venereum suppressa aut parcius fluente gonorrhæa, frequentius vero ab exsiccato lucusculo glandis vel præputii, ope vasorum lymphaticorum glandulis inquinalibus illatum, hanc bubonis speciem producit.

3. *BUBO AB INFECTIONE UNIVERSALI.* Hæc species lui jam universali præsenti supervenit.

4. *BUBO A LUE LATENTE.* Quandoque sine præsentibus aliis luis venereæ signis erumpunt e lue latente bubones *)

Respectu *indolis* sequentes observantur bubonum varietates.

1. *BUBO PHLEGMONOIDEUS.* Rubet, calet, dolet, duriusculus est ac ad ovi gallinacei magnitudinem increscit. Vix resolvi potest, ut plurimum in suppurationem abit.

Curatio. Incipiens bubo cataplasmate resolvente ex farinis & radice mandragoræ in aqua vegetominerali coctis, aut linimento ex melle & radice mandragoræ tegatur. *Interne* pilulæ ex mercurio

---

*) Ab usu decocti stipitum dulcamaræ quandoque bubones venereos latentes evolvi. *Ill.* SAUVAGES adnotavit. *Nosol. meth.* T. II. p. 549.

gummoſo, ac omni tertio die purgans detur. Diæta ſit antiphlogiſtica.

2. *Bubo suppuratorius.* Si bubo inflammatus hac methodo diſcuti nequeat, tunc emplaſtro diachilon, unguento baſiliconis & cataplaſmate emolliente *ſuppuratio* eſt promovenda. Diætà ſit aliquantum lautior; ac percepta fluctuatione tumoris eſt inciſio facienda.

Si autem bubo his remediis ad perfectam fluctuationem perduci nequeat, tunc particula lapidis cauſtici, quæ lentis magnitudinem habet, una alterave hora bubonis medietati applicetur; inuſta eſchara unguento baſiliconis cum neapolitano mixto ac cataplaſmate emolliente deligetur. Sic bubo inſenſibiliter ſe evacuat ac ſenſim evaneſcit. *Interne* pilulæ ex mercurio gummoſo continuentur. *)

*) Hac methodo multos bubones, quos emplaſtro vel unguento mercuriali aliiſque medicamentis reſolvere non potui, feliciſſime intra 3 vel 4 ſeptimanas curavi. Quandoque jam intra horam mediam & citius lapidem cauſticum amovi & exigua eſchara inuſta pro curatione ſuffecit. Dolor e cauſtico non fuit magnus, reliqua bubonis portio ſenſim in ſuppurationem abiit & evanuit; nunquam ulcus mali moris exinde oritur. Si vero ut multi ſolent magna lapidis cauſtici portio per 12 vel plures horas bu-

3. *BUBO INDURATUS.* Noſcitur duritie ac indolentia. Adeo quandoque eſt pertinax ut nec reſolvi nec in pus mutari ullo remedio poſſit.

Reſolutio tentetur interno uſu mercurii gummoſi, extracto cicutæ, gratiolæ ac aliis reſolventibus. Externe unguentum neapolitanum cum anatica portione unguenti de arthanita & pulvere radicis mandragoræ mixtum applicetur. Quandoque fomentum ex ſolutione aquoſa ſublimitati corroſivi profuit.

Si bubo induratus nullo medicamine reſolvi poſſit nec emollientibus in ſuppurationem redigatur, tunc lapis cauſticus eadem methodo, ut in priori ſpecie docui, applicetur.

4. *BUBO ŒDEMATOSUS.* Quandoque bubonis indurati magnus ambitus œdematoſe intumeſcit ac a digito impreſſo foveam retinet.

Curatio exigit fomentum reſolvens aromaticum, ac purgantia repetita, quæ præter internum mercurii uſum danda ſunt.

---

boni applicetur, tunc dolor, inflammatio ac febris excitatur; quandoque bubo exinde gangræneſcit, ut plurimum vero ulcus magnum, ſerpens, difficillime ſanandum, quandoque in verum ulcus cancroideum abiens ſequitur, ut multoties præſertim in putrido noſicomiorum aere obſervavi.

5. *BUBO GANGRÆNOSUS.* Bubones in corporibus ſcorbuticis, putridis ac in aëre noſocomico decumbentibus, cauſtico nimis lato tractati quandoque gangrænefcunt.

Curatio tunc exigit uſum in & externum antiſepticorum, corticis, camphoræ, arnicæ.

6. *BUBO EXULCERATUS.* Ulcera e bubonibus nata quandoque levia ſunt & aqua phagædenica vel balſamo mercuriali facile ſanantur. At quandoque hæc ulcera late ſerpunt, vehementer dolent, papilloſa fiunt, nulli remedio cedunt ac cancreſcentem indolem exhibent.

Curatio exigit ut interne mercurius gummoſus cum conſerva cicutæ & cortice peruviano detur.

Externe ſolutio ſublimati corroſivi cum melle & extracto cicutæ mixta profuit. *) Laudatur etiam admiſſio aëris fixi. **)

---

*) Ulcus in utroque inquine cancroideum ad perinæum in dextro latere excurrens, jam a ſeptem menſibus durans interdicto uſu mercurii gummoſi bono victu & ſolutione ex IV granis mercurii ſublimati corroſivi in una uncia aquæ & totidem mellis parata intra 6 ſeptimanas integre ſanavi.

**) Ulcus cancroideum inquen ſiniſtrum, radicem penis, partem ſcroti & purinæi miſere devaſtans aëre fixo

7. *BUBO FISTULOSUS.* Bubo ſuppurans, hinc inde aperitur ac ſibi relictus uno vel pluribus locis fiſtulas quandoque profundas contrahit.

Curatio exigit ut ſinus fiſtuloſi aperiantur, ac ut prior ſpecies tractentur.

8. *BUBO CANCROSUS.* Bubones per multos annos ſibi relicti, aut medicamentis incongruis tractati in vera carcinomata ſcirrhoſa vel fungoſa degenerant. *)

Curatio exigit exciſionem carcinomatis ſi ſpes eſt totam maſſam penitus exſtirpari poſſe.

PHYSCONIA VENEREA ABDOMINIS.

Eſt adipis ſubcutanei induratio in abdomine a viru venereo.

---

externe applicato ac interne cum potu dato curatum legitur. *Sammlung der auſerleſenſten und neueſten Abhandlungen für Wundärzte.* 2. *St.* 85. *S.*

*) In viro qui bubonem venereum a ſeptendecim annis in inquine geſſit, ſubito adeo augebatur tumor ut tum illum viderem tres pugnos magnitudine ſuperaret, dolens, duriſſimus, ac inæqualis fuit, periit miſer tabe conſumtus. Vidit *Celeber.* PIETSCHEN ex bubone venereo fungum cancroſum pilei caput magnitudine æquantem ſubito excreſcere & ægrotum necare. *Geſchichte practiſcher fälle von Gicht und Podagra.* VI. *Th. p.* 5.

Curatio exigit præter internum mercurii usum, ut induratio unguento neapolitano aliquoties inungatur. *)



MORBI CUTIS VENEREI.

MACULÆ VENEREÆ.

Sunt maculæ rubro - flavæ, circulares, parum elevatæ, cum margine albido. A viru venereo ortæ.

Frequentiſſime circa frontem erumpunt & ſic dictam *coronam veneream* conſtituunt. Non raro in facie, in antica parte thoracis, & inter ſcapulas, quandoque in toto fere corpore exiſtunt.

Valde pruriunt, quandoque exiguæ ut ephelides, quandoque admodum latæ ſunt. In *infantibus* a matre venerea natis paullo poſt partum circa anum & ambitum genitalium primo erumpunt.

*) In viro ſyphilitico abdomen mire turgebat & adeps ſubcutaneus abdominis induratus fuit. Celebrata autem hydrargyroſi & abdomine ſepties unguento neapolitano inuncto, evanuit abdominis protuberantia. Sauvages *Noſol. meth.* T. II. p. 490.

Curatio exigit internum ufum mercurii gummofi. *Externe* aqua phagadænica aut diluta folutione fublimati corrofivi lavari debent.

SCABIES VENEREA.

Sunt papulæ duræ, rubræ, in apice fuppurantes & cruftofæ, quæ cum maculis venereis cuprei coloris in fronte vel aliis partibus erumpunt.

Curantur ut maculæ venereæ.

RHAGADES VENEREÆ.

Sunt fiffuræ ficcæ & profundæ, quæ in cute circa anum & vulvæ orificium, quandoque etiam in volis manuum ac plantis pedum obfervantur.

Curantur admodum difficulter. Interne dandus eft mercurius gummofus. *Externe* folutio faturata mercurii fublimati & pomatum ex mercurio præcipitato albo vel rubro adhibeatur.

PSYDRACIA VENEREA.

Sunt maculæ rubræ, multum elevatæ, in ulcera cutanea brevi abeuntes.

Frequentiffima *fedes* eft in cruribus ac circa antibrachium, quandoque circa anum & genitalia.

Raro diu ſine exulceratione adſunt, hinc illico præter internum uſum mercurii ſolutione mercuriali ſæpius lavari debent.

HERPES VENEREUS.

Eſt macula rubra, minimis papulis vel veſiculis in furfures abeuntibus plena.

Auribus & capillatæ capitis parti frequenter, quandoque etiam thoraci aliiſque partibus inſidere ſolet.

Curatio exigit ut interne mercurius gummoſus detur. *Externe* lotio herpetis cum aqua phagadenica vel ſolutione ſublimati prodeſt. *)

TINEA VENEREA CAPITIS.

Eſt agmen cruſtarum ſiccarum vel albarum vel virideſcentium quæ in capitis parte capillata quandoque ſimul circa frontem & tempora in venereis obſervari ſolent.

1. *TINEA A LUE UNIVERSALI*, quæ maculas venereas aliqua ſymptomata luis venereæ ſimul ſecum juncta gerit.

---

*) Feminam, quæ multas ac palmam latas herpetes in thorace, brachiis ac femoribus gerebat hac methodo nuper curavi. Herpetum a miaſmate latente

Curatur interno uſu mercurii gummoſi. *Externe* balſamum mercuriale hinc inde prudenter illiniatur. In malo inveterato lotionem cum aqua phagadenica vel ſolutionem ſublimati corroſivi deprehendi utilem.

2. *TINEA A LUE LATENTE*, quæ in infantibus a matre venerea natis aut nutrice ſimili lactatis ſine aliis luis venereæ notis deprehenditur. *Curatio* eſt eadem ac in priori ſpecie. *)

---

exempla refert *Cel.* FABER Vol. I. p. 289 & 332. Vide etiam *Celeberrimi* SCHMUCKERS *Chirurgiſche Schriften.* I. B. 166. S.

*) *Cel.* Medicus claſſiarius KOEHLER vidit cum noſocomium, quod Neapoli curandis infantibus tinea capitis laborantibus vacat, frequentaret, 283 infantes e numero 400, a parentibus, qui in eodem noſocomio morbis venereis ægrotabant, natos eſſe. Statuit porro *Illuſtris Archiater* ROSENSTEIN tineam capitis, quæ vel pectinum vel mitrarum ope in alios propagatur, venereæ eſſe indolis; nam uſu externo & interno ſpiritus mercurialis SWIETENII maximas capitis tineas ſanavit. V. *Anweiſung zur Kenntniſz und cur der Kinderkrankheiten.* 662. S. Ego plures infantes & adultos tineoſos interno uſu mercurii gummoſi quandoque cum quandoque ſine capitis ablutione cum aquoſa ſublimati ſolutione feliciter curavi.

ALOPECIA VENEREA.

Eſt capillorum, vel pilorum totius corporis defluvium.

Quandoque ſupercilia, cilia ac pubes a viru venereo defluunt.

Curatio. Si bulbi pilorum a viru venereo jam deſtructi ſunt, tunc pili non amplius curata quamvis lue recreſcunt.

UNGUIUM CORRUPTIO.

Eſt unguis unius vel plurium corruptio ulceroſa.

Hoc vitium frequentius in pedum quam manuum digitis obſervatur. Quandoque a lue univerſali, quandoque a latente eſt. *)

Curatio interno uſu mercurii gummoſi peragitur ſi *externe* ſimul ſolutio ſublimati corroſivi cum ſpiritu vini maſtichino mixta applicetur.

---

*) Bernardinus Tomitanus qui circa centeſimum circiter a luis initio annum ſcripſit, dicit, *Vidit ætas proxime acta, in multis fieri dentifluvium; parcius nunc id videmus ac multo ſæpius, cadere ſupercilia, capillos, & barbam experimur.* Anton Musa Brassavolus ungues a lue cecidiſſe, pilos ac dentes defluiſſe ad notat. V. *Ill.* Van Swieten *Comment.* T. v. p. 406.

PRURITUS VENEREUS.

Eſt ſenſatio quæ ad ſcalpendum cogit a viru venereo orta.

1. *PRURITUS GENITALIUM.* A coitu impuro in viris in capite penis, in feminis in ſinu vulvæ adeo vehemens quandoque eſt ut unguibus ſibi cutem fere abradunt, multoſque dies durat.

Curatio exigit ablutionem cum ſolutione aquoſa ſublimati aut applicationem unguenti mercurialis.

2. *PRURITUS UNIVERSI CORPORIS.* Ante & ſub eruptione macularum aut miliarium venerearum ingens pruritus in toto quandoque corpore obſervatur, præſertim circa veſperas.

Curatio exigit internum uſum mercurii gummoſi; Balnea, ablutionem cum ſublimato.

LEPRA VENEREA.

Cutis pilis deſtituta, rhagadibus, tuberibus & cruſtis faciei aliarumque partium a viru venereo defœdata, dicitur *lepra venerea.* *)

---

*) *Cel.* RAYMOND vide *Traité des Maladies qu'il eſt dangereux de guérir*, p. 357, ſequentem habet obſervationem: Mulier quinquagenaria habebat oculos ſolito turgidiores & rubros cum debili viſu, nulla cilia, nec ſupercilia, labia craſſa tumida, vocem

Curatio præter internum mercurii uſum exigit ut tota corporis ſuperficies ſolutione mercuriali lavetur. Vera autem lepra mercurio non curatur. *)

---

debilem, raucam, naſum depreſſum, nares patulas, humorem fœditum exſtillantes, frontem rugoſam, caput omnino calvum, lobos aurium ſolito craſſiores, cutem omnino glabram ſine pilis, lucidam, craſſam, aſperam, inæqualem, pluribus in locis induratam, aliqualem pruritum in toto corpore, agheuſtiam, anhelitum ſordidum cum capitis gravitate & auditu obſcuro. Maritus ſyphilide laboraverat & hoc ſolum morbi principium incuſari in muliere potuit; unde adhibita hydrargyroſi intra duos menſes ea mulier omnino convaluit, cutis mollitiem, caput capil'os ſuos, viſus & auditus ſuam acutiem recuperarunt. Etiam lepræ ſpecies, quæ in noſocomio florentino S. Eusebii, externo uſu ſublimati corroſivi curatur, venereæ indolis eſſe videtur *V. Diſſertatione ſopra le malatie, que ſi curano nel regio ſpedale di* S. Eusebio *in Fiorenze.* 1771.

**) Nihil frequentius eſt connubio leproſi & venerei veneni dicit *Cel.* Schilling in ſuo egregio libro *de lepra* p. 39. & 40. Nam homines lepra affecti tum inter initia, quam in progreſſu morbi ad rem veneream mirabiliter incitantur. Hoc igitur ſtimulo incitati variam frequentiſſimamque venerem exercent, atque ſic virus leproſum cum aliis communicant & viciſſim venereo ab aliis hauſto inficiuntur. Sunt autem inter ſymptomata conjunctorum horum miaſ-

ULCERA VENEREA CUTIS.

Sunt ulcera ſolam cutem infeſtantia, ut plurimum rotunda, lardacea, quorum margines molles ſunt & rubent.

Multum conveniunt ulcera venerea lata cum cancro nerveo, at in ulceribus venereis margines ſunt molles & rubicundi in cancroſis ſunt duriſſimi & pallidi. **)

1. *Ulcera a lue universali.* Hæc oriuntur a prægreſſis pſydraciis aut puſtulis venereis, facile noſcuntur ex prægreſſis vel adhuc præſentibus ſymptomatibus venereis.

Curatio uſu interno mercurii gummoſi. *Externe* balſamum mercuriale aut ſolutio aquoſa ſublimati applicetur.

---

matum imprimis ulcera cancroſa pudendorum ad omne genus medicaminum rebellia. In his tentavit mercurii uſum ſed ſemper mala inde ſymptomata vidit producta. Omninoque multiplici experientia obſervavit mercurium ſuperando veneno leproſo prorſus ineptum eſſe, lepram exaſperare ac ut plurimum putridiſſimam producere dyſſenteriam. Exiſtunt adhuc authores, qui opinantur lepram veterum fuiſſe luem veneream, vel hanc luem a coitu cum leproſa fuiſſe ortam; at lepra vera non inficit genitalia, nec curatur mercurio, & dudum ante luem veneream cognitam medicis fuit nota.

*) Birchen *von den Kennzeichen der Krebsſchaden.* p. 81.

2. *Ulcera*

2. *Ulcera a lue latente.* Hæc ſine conſuetis luis venereæ ſignis a lue hæreditaria vel aquiſita & male curata oriuntur. Inſperſo mercurio dulci evadunt pura, ſi ſunt venerea, non autem ſi ab alia cauſa excitantur. *)



MORBI VENEREI OCULORUM.

OPHTHALMIA VENEREA.

Est oculi rubor & dolor a viru venereo.

Species ſunt

1. *Ophthalmia gonorrhoica.* Eſt oculi vehemens inflammatio, quæ in viris a ſuppreſſa gonorrhæa; in mulieribus a ſuppreſſo fluore albo oritur. *Cauſa* eſt materies gonorrhoica ex urethra ad celluloſam ſubſtantiam membranæ conjunctivæ, bulbi & palpebrarum ſuperficiem obducentis, per metaſtaſim depoſita.

Diagnoſis. Biduo vel triduo poſt ſuppreſſam gonorrhæam oritur uberrimus fluxus ex oculo rubente humoris puriformis, alboflaveſcentis & materiæ gonorrhoicæ, ante ex pene ſtillanti, ſimillimi. Rubor oculorum fere ſemper in

*) *Ill.* Rosenstein l. c. p. 674.

chemoſim ſeu adeo gravem inflammationem abit, ut cornea obſcuretur & ob enormem membranæ albugineæ intumeſcentiam in foveam quaſi depreſſa appareat.

Hæc ophthalmia ut plurimum in ſuppurationem & exulcerationem corneæ ac albugineæ abit, ex quibus opacitas corneæ, vel hypopyum vel immedicabilis cæcitas a deſtructis partibus internis bulbi remanet. *)

Curatio exigit ut mox incipiente oculi inflammatione

1. *Vena* ſeccetur ac *purgans* antiphlogiſticum detur.
2. *Mercurius gummoſus* interne quotidie ad grana 30 detur.
3. Oculus inflammatus *lacte mercuriali* vel ſolutione dilutiſſima ſublimati corroſivi mediante parva pelvi ophthalmica vel alio vaſculo omni hora balneetur.

Hac ſola methodo ego multos feliciter curavi & cæcitatem præverti.

Curatio hucuſque conſueta, nempe *venæſectiones*, *hirudines* ad oculorum canthos,

---

*) Camerarius *Diſſertat. de ophthal. venerea.* 1734. Rowley *on the diſeaſes of the eyes. London* 1773. & *Cel.* Schmucker. *Chirurg. Wahrnehmungen. I. Th.*

veſicatoria, *fonticuli*, *purgantia* per octiduum data, *cataplaſmata* diſcutientia ad oculum & emollientia *balnea* ad penem, ut gonorrhæa revocetur. *Ophthalmoxyſis* & conjunctivæ *exciſio* nihil juverunt. Ego multos cum hac methodo excæcatos vidi.

Quid gonorrhææ inoculatio, ope candelulæ, pure gonorrhoico maligno illitæ & urethræ immiſſæ, ad revocandam in hoc morbo valeat, tentandum eſt. *)

2. OPHTHALMIA A LUE UNIVERSALI.

Hæc ſpecies ab acrimonia venerea per totum corpus diffuſa originem ducit. Rubor

---

*) *Cel.* LANGE *commentatio de ophthalmia.* p. 75. Mira nuper hic loci contigit hiſtoria hujus morbi. Lanio ex gente raſciana gonorrhæa laborans aliquot uncias olei terebinthinæ hauſit, ut ſibi gonorrhæam curaret. Suppreſſa gonorrhæa ſubito vehementiſſima ophthalmia gonorrhoica utriuſque oculi afficitur. Chirurgus, qui me hac de re conſuluit, ægroto gonorrhæam ope candelulæ infectæ inoculare tentavit, at ægrotus id non admiſit, dicens ſe leniori via ſibi revocaturum eſſe gonorrhæam, adiit ideo eandem, a qua gonorrhæam obtinuit, meretricem, ac altero jam die profuſiſſima gonorrhæa laborabat, oculi inflammatio remiſit, & ſolo interno uſu mercurii gummoſi intra 6 hebdomadas ab utroque vitio perfecte curabatur.

chronicus eſt non autem adeo vehemens ac in ophthalmia gonorrhoica; circa auroram hæc ſpecies remittit ac nunquam ut gonorrhoica in chemoſim oculi abit.

Curatur uſu interno mercurii gummoſi. *Externe* balneam ex lacte mercuriali vel balſamum opthalmicum mercuriale applicetur. Decoctum malvæ in cujus libra una granum unum mercurii ſublimati ſolutum erat quandoque cito profuit.

LIPPITUDO VENEREA.

Eſt exſudatio humoris puriformis e marginibus palpebrarum.

1. *LIPPITUDO A SUPPRESSA GONORRHÆA VEL FLUORE ALBO.* Hæc ſpecies prodromus acceſſuræ ophthalmiæ gonorrhoicæ eſt; quandoque autem malum manet chronicum.

   Curatio præter internum uſum mercurii gummoſi exigit balſamum ophthalmicum rubrum, vel ſolutionem ſublimati in decocto malvæ ut mox in ophthalmia venerea ſuaſi.

2. *LIPPITUDO VENEREA INFANTUM NEUNATORUM.* Infantes a matre venerea nati aliquot poſt partum ſeptimanis elapſis intumeſcentia tarſorum palpebra-

lium vexari incipiunt, paullo post ingens copia puris albo-viridescentis, ut ex urethra in gonorrhæa, ex oculo effluit, oculi inflammatio quandoque exigua; quandoque gravis est. Hæc lippitudo primarium signum est luis venereæ in infante latentis, apparet quandoque sine omni alio signo venereo & mala curata in pessimam oculi suppurationem atque cæcitatem abit.

Curatio eadem exigit ac prior species.

MACULA CORNEÆ VENEREA.

Est coloris alientatio in cornea a viru venereo.

Quandoque solummodo *pars* quædam corneæ, quandoque *tota* cornea obscurata est.

1. *MACULA A PRÆGRESSO MORBO VENEREO OCULI.* Ut a prægressa ophthalmia, lippitudine vel ulcere venereo corneæ.

Curatio exigit internum mercurii gummosi usum. *Externe* macula vel cornea obscurata solutione sublimati corrosivi omni die bis ope penicilli tangatur, dein unguentum ophthalmicum rubrum *) ter de

*) *Cel.* VOLGER *diss. de maculis corneæ. Gotting.* 1778. p. 16. & *Cel.* THEDEN *Bemerkungen* 1771. p. 192.

die lentis magnitudine illiniatur maculæ. *)

2. *Macula a latente lue infantum neonatorum.* Infantes recens nati quorum mater leucorrhæa laboravit venerea, sæpe corneæ obscuratione & oculi atrophia corripiuntur.

Curatio medicamentis in priori specie laudatis, in morbi initio tentata, persæpe juvat.

ULCUS VENEREUM CORNEÆ.

Est ulcus in superficie corneæ a viru venereo.

1. *Ulcus a morbo venereo oculi*, ut a prægressa vel adhuc præsente ophthalmia gonorrhoica aut venerea. **)

Curatio præter usum internum mercurii gummosi exigit ut externe balsamus ophthalmicus mercurialis & diluta solutio sublimati cum melle rosaceo applicetur.

---

*) *Illust.* Van Swieten solo usu interno sublimati corneæ maculam sanavit. V. *Medicinische Bemerkungen einer Gesellschaft von Aerzten in London. III. B.* 206. *S.*

**) *Cel.* Janin *Abh. über das Auge und dessen Krankheiten. S.* 317. *Beob.* IV.

2. *ULCUS A LUE* vel *LATENTE* vel *UNIVERSALI.* In utroque casu quandoque corneæ ulcera fuere visa. *Curatio* est ut in priori specie.

HYPOPYUM VENEREUM.

Est puris collectio in antica oculi camera.

1. *HYPOPYUM A GONORRHÆA SUPPRESSA.* Hanc speciem sine oculi vehementi inflammatione vidi. Data purgantia & fomentum ex malvæ decocto cum lacte mercuriali mixto profuit.

2. *HYPOPYUM AB OCULI CHEMOSI VENEREA.* Si cornea a pure in cameris oculi turgente erodatur & rumpatur, tunc oculi humores a pure fusi effluunt, bulbi atrophia & cœcitas immedicabilis sequitur.

Curatio incipientis hypopii fit ut in ophthalmia gonorrhoica.

FISTULA LACHRYMALIS VENEREA.

Est effluxus liquidi puriformis, ex punctis lachrymalibus exprimendi, a viru venereo ad glandulas sacci lachrymalis deposito.

1. *FISTULA LACHRYMALIS A SUPPRESSA GONORRHÆA.* Curatur usu

interno mercurii gummosi. *Externe* applicetur tenuissima solutio sublimati aquosa. Quandoque talis fistula a lue latente est. *)

2. *Fistula lachrymalis a carie ossis lachrymalis.* Hæc species est pessima; *curatio* præter mercurialia interna exigit spiritum masticbinum, cum sublimato mixtum, ad cariem applicandum.

HORDEOLUM VENEREUM.

Est tuberculum rubrum, parvo furunculo simile, in tarsis palpebrarum, a viru venereo nascens.

Curatur interno usu mercurii gummosi. Externe lac mercuriale applicetur.

CATARACTA VENEREA.

Est cæcitas, ab opacitate lentis crystallinæ, a viru venereo orta.

1. *Cataracta a suppressa gonorrhæa.* Quandoque sine ophthalmia gonorrhoica cataracta oritur; bis autem vidi a sanata ophthalmia gonorrhoica remansisse opacitatem lentis crystallinæ.

---

*) *Ill.* Rosenstein *von Kinderkrankh. p.* 643. & *Cel.* Fabre *Traité des maladies vénériennes*, 1. *B.* 12. *S. Cel.* Petit fistulam in utroque sacco lachrymali & ulcus in palato a lue latente orto curavit mercurialibus frictionibus.

Curatio usu interno mercurii gummosi aut pilularum ex sublimato tentari potest, si curatio non succedit, tentetur extractio cataractæ. *)

AMAUROSIS VENEREA.

Est cæcitas sine apparente vitio in oculo a viru venereo orta.

1. *AMAUROSIS A COITU IMPURO.* Quæ paullo post coitum supervenire visa fuit **) Detur illico purgans & mercurius gummosus.

2. *AMAUROSIS A LUE UNIVERSALI.* Hæc species cum dolore oculi ac pervigilio stipatur. Quæ ab *exostosi* nervum opticum premente oritur, aut ab hydatidibus venereis retinæ vel nervi optici originem habet, salivatione curari dicitur. ***).


---

*) Celebris chirurgus militaris scripserat mihi se usu pilularum ex mercurio gummoso cataractam a gonorrhæa suppressa ortam in milite quodam sanasse. *Ill.* SAUVAGES dicit cataractam veneream per spiritum antivenereum aliquando disparere. Ego utrumque remedium sine successu in cataracta venerea tentavi.

**) ZACUTUS paucis post coitum impurum horis amaurosim cum ulceribus & varis faciei supervenire vidit. *Praxes Cent.* V. *obs.* 49.

***) *Illust.* BOERHAAVE, HEISTERUS, BONNET, & SMITH in sua *optica* casos narrant amauroseos salivatione

Interne tentetur mercurius gummoſus vel ſublimatus corroſivus cum decocto mezerei.



MORBI VENEREI AURIUM.

COPHOSIS VENEREA.

Est ſurditas perfecta vel imperfecta a viru venereo.

1. *Cophosis a gonorrhæa suppressa.* Noſcitur quod paullo poſt ſuppreſſionem gonorrhææ obſervetur.

2. *Cophosis ab exostosi* aut *cerumine induratio* aut *carie auditorii organi.* In lue jam magis univerſali hæc vitia deprehenduntur.

3. *Cophosis a vitio venereo in faucibus*, ut a tuba Euſtachiana per exulcerationem concreta, obſtructa, aut a tonſillis tumidis compreſſa.

Curatio in omnibus cophoſeos ſpeciebus uſum internum mercurii gummoſi exigit. *)

---

curatæ. V. etiam *Illuſt.* Schmucker *Vermiſchte chirurgiſche Schriften 2. Teil S.* 24.

*) *Celeberrimi* Trnka *hiſtoria cophoſeos*, p. 116, collegit hiſtorias ſurditatum venerearum mercurio curatarum. Ego etiam nuper ſtudioſum a ſuppreſſa gonorrhææ ſurdum mercurio gummoſo ſanavi.

OTORRHÆA VENEREA.


Eſt fluxus humoris puriformis ex meatu auditorio externo.

1. *OTORRHÆA SIMPLEX*, quæ ſine ulcere poſt ſuppreſſam gonorrhæam quandoque contingit.

Curatio exigit uſum mercurii interni atque injectionem ſolutionis aquoſæ ſublimati.

2. *OTORRHÆA CARIOSA.* Oſſicula auditus, oſſeusque aurium fornix carie venerea interdum exeduntur. Hinc fœtcr rancidus exeuntis liquoris, exitus oſſiculorum auditus, immedicabilis ſurditas, & ſi caries proceſſum petroſum ad cerebrum uſque peredit, mors contingere poteſt.

Curatio exigit præter internum mercurii gummoſi uſum, ut in cavum auditus injectiones fiant ex ſolutione ſublimati & ſpiritu maſtichino.



MORBI VENEREI NARIUM.

CORYZA VENEREA.

Est humoris puriformis ſtillicidium e cavo narium ſine ulceris præſentia.

1. *Coryza gonorrhoica* ſeu *gonorrhæa nasalis*. Paullo poſt gonorrhæam ſuppreſſam oritur quandoque puriformis & copioſi muci ſtillicidium e naribus ſine ulcere narium. Humor deſtillans eſt humori gonorrhoico ſimillimus.

Curatio exigit internum uſum mercurii gummoſi. *Externe* tenuiſſima ſolutio ſublimati corroſivi naribus attrahatur.

2. *Coryza ab infectione externa*. Si mediante muccinio vel digitis virus naribus applicetur. *Curatur* ut ſpecies prior. *)

---

*) *Cel.* Tode *Mediciniſchchirurgiſche Bibliothek*. 7. *B.* 1. *St.* 22. *S.* recenſet ex *Clar.* Duncan *medical caſes* ſequentem hiſtoriam. *Ein junger Menſch, der einen Tripper hatte, ſah ſich genöthiget, eine kurze Zeit ſein Schnupftuch zu brauchen um das Hemd zu ſchonen. Als er andere Lappen bekommen hatte, ſtekte er aus Unachtſamkeit das Schnupftuch in die Taſche und bediente ſich deſſelben wie vorhin die Naſe zu ſchneizen. Die Wirkung war eine Krankheit inwendig in der Naſe, die in allen ſtüken einen Tripper ähnlich war.* *Cel.* Tode hinc omni jure hunc morbum vocat *einen Naſentripper*.

OZÆNA VENEREA.

Eſt ulcus venereum intra vel extra narium cavitatem.

2. *OZÆNA EXTERNA.* Oritur macula rubra circa alas narium, hæc macula ſenſim in tuberculum planum elevatur & exulceratur, devaſtat alas naſi & late ſerpit, ni brevi legitima medela adhibeatur.

Curatio exigit ut locus externus ſolutione ſublimati tegatur & ut *interne* mercurius gummoſus detur.

2. *OZÆNA INTERNA.* Eſt ulcus in ipſo narium cavo, quod effluxu puris ſanioſi ac inſpectione narium noſcitur.

Curatio interna exigit mercurium gummoſum cum aſa fœtida.

Externe injiciatur vel naribus attrahatur aqua phagædenica vel ſolutio ſublimati cum eſſentia maſtichina & melle roſaceo mixta.

3. *OZÆNA CARIOSA*, noſcitur effluxu puris ſanioſi & ſimul valde fœtentis, quandoque fragmenta oſſiculorum ſpongioſorum aut ſepti narium emunguntur. Naſus totus collabitur.

Curatio eſt eadem ac in priori ſpecie.

4. *OZÆNA SINUS PITUITARII FRONTALIS.* Oritur ulcus carioſum ſupra ra-

dicem nasi, penetrans in sinum pituitarium frontis, quod stillo exploratur.

Curatio exigit, ut saniei cariosæ effluxus paretur per orificium sinus in cavum narium patens, si orificium concretum foret. *)

DEFORMITAS NASI VENEREA.

Est nasi collapsus vel defectus in uno vel utroque latere.

1. *DEFORMITAS A COLLAPSU.* Si caries septum narium, nasum fulciens, vel ut quandoque fit propria officula nasi destruit, tunc totus callabitur nasus externus; facies talium hominum simiæ instar deturpatur & tota vita prægressæ luis signa præsefert.

Est malum *incurabile.* Quandoque cum naso tota facies mirum in modum deformatur. **)

---

*) Vide *Ill.* Richter *observ. Chirurgic. Fasc.* II. p. 44.

**) Miram totius faciei a lue inveterata defomitatem depingi curavit Severinus in libro *de abscessuum recondita natura. Neapoli* 1763, p. 178. Vidi ego feminam ruralem, cui a lue inveterata totus adeo evanuit nasus, ut ejus loco exigua prominentia, quæ vix pisi magnitudinem æquabat cum foramine

2. *DEFORMITAS A DEFECTU LATERALI NASI.* Quando in uno vel utroque latere nasi alæ cartilagineæ ulcere consumuntur, tunc nasus in uno vel utroque nare turpiter hiat & deficit.

Malum ut prius est *incurabile.*

PARAPHONIA VENEREA.

Est vocis sonus ingratus.

1. *PARAPHONIA A VITIO NARIUM.* Si nares ab ulcere vel tumore venereo obturentur, tunc sonus solo ore sine concurrentibus naribus editur.

2. *PARAPHORIA A VITIO FAUCIUM*, ut a faucibus exulceratis, uvula abrosa, foramine in palato.

Curatio exigit ablationem vitii, cujus paraphonia effectus est.

---

ejusdem magnitudinis solummodo superesset; simul oris apertura adeo erat contracta evanidis quasi & concretis labiis, ut vix apice digiti minimi in oris cavum penetrare potuerim. Iconem hujus deformis faciei alia occasione communicabo.



MORBI VENEREI ORIS.

APHTHÆ VENEREÆ.

Sunt ulcuſcula ſuperficialia in cavo oris.

Non ſolum cavum faucium, tonſillas & uvulam occupant, ſed etiam internam labiorum ſuperficiem & commiſſuras labiorum oris obſident. Aphthæ autem *mercuriales* ad latera & baſim linguæ atque ad interiora genarum in orificiis ductuum Stenonianorum confertim erumpunt.

1. *Aphthæ a lue universali.* Hæc ulcuſcula muco gryſeo vel albo ſunt obducta & a parte in partem ſerpunt. Noſcuntur ex prægreſſis ſymptomatibus venereis.

Curatio exigit internum uſum mercurii gummoſi. *Externe* gargariſma mercuriale applicetur.

2. *Aphthæ ex lactatione nutricis venereæ.* Hæc ſpecies in infantibus, qui nutrice venerea lactantur, perſæpe obſervatur. Ab oſculo talis infantis contrahuntur, ut vidi, ulcera venerea laborum.

Curatio infantum exigit *ſyrupum mercurialem.* Os eluatur ſolutione aquoſa ſublimati melle vel ſyrupo mixta.

ULCE-

ULCERA VENEREA PALATI.

Sunt ulcera in palatu a viru venereo orta.

1. *Ulcera simplicia.* Incipiunt cum macula rubra, aliquantum elevata, quæ ſenſim in ulcus ſordidum abit, & non raro oſſa palatia ſimul carie inficit.

Curatio externa exigit ſolutionem ſublimati cum melle roſaceo. *Interne* detur mercurius gummoſus.

2. *Ulcera perforantia palatum.* Quandoque caries oſſa palatina uſque in narium cavitatem peredit; tunc teterrimo ſpectaculo pars cibi & potus ſub degluitionis connatu in nares & extra eas regurgitat.

Curatio præter internum mercurii gummoſi uſum exigit, ut eſſentia maſtichina cum melle & ſublimato mixta ope penicilli aliquoties de die illiniatur. Aut ut ſpongia hac eſſentia madida ope *obturatorii palatini* foramini carioſo applicetur.

SCABIES VENEREA MENTI.

Eſt ſcabies cruſtoſa, a viru venereo orta, quæ ambitum barbæ mentalis occupat.

Curatio exigit uſum internum mercurii gummoſi. *Externe* ſolutio ſublimati aut aqua phagædenica applicetur.

MORBI VENEREI COLLI ET FAUCIUM.

SCROPHULÆ VENEREÆ.

Sunt indurationes glandularum ſubmaxillarium vel jugularium in collo.

1. *Scrophulæ a lue universali*. Hæ ex præſentia aliorum morborum venereorum noſcuntur, ut plurimum leviter inflammatæ ſunt. Quandoque una quandoque plures ſimul adſunt. Raro reſolvuntur, ut plurimum in lenta ulcera colli abeunt.

Curatio exigit internum uſum mercurii gummoſi. *Externe* ſaturata ſolutio ſublimati forma fomenti applicetur.

2. *Scrophulæ a lue latente.* Infantes quorum parentes quondam lue laborarunt, & infantes quibus tinea capitis non radicitus curatur, provectiori ætate ſcrophuloſi fiunt. *)

Ad *curationem internam* mercurius gummoſus, ſolutio ſublimati, aquilla alba &

*) Cacochymiam ſcrophuloſam perſæpe ex degenerato viru venereo eſſe cenſet *Cel.* Hausmann *Diſs. de morbis venereis larvatis. Gotting.* p. 55.

æthiops mineralis cum extracto vel pulvere cicutæ laudatur.

ANGINA VENEREA.

Eſt deglutitio difficilis & doloroſa a viru venereo ad fauces depoſito.

Nullum ſymptomata venereum eſt frequentius videre quam maculæ & ulcera faucium.

1. *ANGINA INFLAMMATORIA*, noſcitur maculis rubris & latis, quæ in ſuperficialia ulcuſcula ſeu aphthas venereas abeunt.

Curatio exigit internum uſum mercurii gummoſi ac purgans antiphlogiſticum. *Externe* ſolutio tenuis ſublimati ſeu gargariſma mercuriale applicetur.

2. *ANGINA ULCEROSA*, noſcitur ulceribus gryſeis, ſordidis, lardaceis, latis, circa pharyngem, laryngem, uvulam, tonſillas & velum palatinum ſerpentibus; voce rauca & naſali; ptyaliſmo fœtido & mucoſo.

Curatio. Interne mercurius gummoſus atque decoctum ſerſaparillæ detur. *Externe* gargariſma mercuriale adhibeatur.

Si vero ulcera non brevi ſanentur, tunc ea aliquoties de die ſaturata ſolutione ſublimati ope penicilli tangantur.

3. *Angina inveterata.* In hac ſpecie ulcera vel jam cancreſcunt, vel colli vertebrarum corpora jam carioſa ſunt. Penicillatio faucium cum ſublimato in eſſentia maſtichina ſoluto quandoque etiam in hoc caſu mihi profuit. *)

4. *Angina a dysphagia venerea.* Noſcitur ſenſu obicis vel nodi in ipſo æſophagi cavo quaſi hærentis ac prægreſſis vel adhuc præſentibus luis venereæ ſignis.

Curatio exigit mercurium gummoſum. **) Quæ autem dyſphagia a *nimia ſenſilitate faucium* poſt ulcera bene ſanata remanet, tempore ſua ſponte curatur.

---

*) Plures ægroti annuis ulceribus faucium laborantes, qui non ſolum mercurium gummoſum ſed etiam ſublimatum & dulcem & frictiones cum & ſine ſalivatione ſine omni ulcerum emendatione, diu adhibuerunt, ab uſu mercurii abſtinere juſſi, fauces penicillavi Eſſentia maſtichina mercuriali v. *formulas*, ac illos intra aliquot ſeptimanas penitus curavi.

**) Dyſphagiam talem ſine præſentibus ſignis venereis a lue latente natam, mercurio curatam recenſet *Cel. de* Meza. V. *Cel.* Strack *Beobacht. von der Peteſchenkranheit.* p. 233. Dyſphalgiam, ab ulceribus venereis faucium curatis remanentem, etiam vidit *Cel.* Ducan. *Medical. Caſes.* p. 176.

MORBI VENEREI OSSIUM.

TOPHUS VENEREUS.

Est topica offis intumefcentia a viru venereo, ad offis fubftantiam depofito.

Tophus offe durior *exoftofis* dicitur; ac tophus valde mollis *gummi venereum* vocatur.

Caufa *proxima* eft lamellarum offearum vel periostei elevatio a muco venereo fub his effufo.

Sedes frequentiffima tophorum eft cranium, clavicula, fternum, antibrachium, tibia.

1. *Tophus simplex* nofcitur tumore profundo, immobili, plano, offe vix molliori ut plurimum ovato, cuti concolori, ac ut plurimum dolente dolore ofteocopo.

Refolutio exigit ufum internum mercurii gummofi, ac decoctum farfaparillæ cum radice mezeræi. *)

*) *Cel.* Russel corticem radicis daphnidis mezeræi in tophis venereis & doloribus ofteocopis valde laudat; fedecim cafibus practicis comprobat, tophos, qui fæpe magnitudinem nucis juglandis aquabant, intra menfem folo hoc cortice fæpe refolutos fuiffe. Sed in vera exoftofi parum profuit hic cortex. Binos recenfet cafus ubi caries fubfuit, quæ tamen feli-

2. *Tophus cariosus*, noſcitur prægreſſa inflammatione ac ſubſequente ſeceſſione & exulceratione partium mollium.

Curatio exigit denudationem loci & applicationem ſolutionis ſublimati cum eſſentia maſtichina.

HYPEROSTOSIS VENEREA.

Eſt totius extremitatis in oſſe longo intumeſcentia a viru venereo in ſubſtantiam ſpongioſam oſſis depoſita.

1. *Hyperostosis simplex*, noſcitur intumeſcentia totius extremitatis in oſſe. Si malum recens eſt & tumor exoſtoticam duritiem nondum habet, tunc ut tophus reſolvitur, alias eſt irreſolubilis.

Internus uſus mercurii præcipitati albi vel mercurii præcipitati per ſe, quotidie ad granum datus in hoc morbo laudatur.

2. *Hyperostosis Cariosa*. Noſcitur ſignis tophi exulcerati. *Curatio* præter internum uſum mercurii gummoſi exigit profundas perforationes oſſis carioſi ut

citer curata fuit ſub uſu corticis poſt applicatum cauſticum inſequente exfolliatione. V. *Medical obſervations and inquir.* T. 3. p. 189. *Cel.* Razoux decoctum ſtipitum dulcamaræ ad tophos curandos laudat. V. *Journal de Médecine* T. 22. p. 236.

ſuccus medullaris corruptus effluere poſſit. Si caries totam extremitatem jam occupat ſola amputatio ſupereſt.

CARIES VENEREA.

Eſt oſſis corruptio in externa oſſis ſuperficie a viru venereo.

Sedes frequentiſſima eſt in cavo narium, in cranio *) claviculis, ſterno, cubito, tibia.

---

*) Vidit *Ill.* MORGAGNUS vetulam, cui venerea caries tantum de ſiniſtro oſſe ſyncipitis & proximo frontis abſumpſerat, ut per foramen trium digitorum transverſorum quoquoverſus cerebrum pateret, liceretque perſpicere, ubi arteriam ad carpum tangeres, eodem temporis puncto hanc & cerebrum tum ſeſe attolere, tum ſubſidere. Ipſius autem membrana cerebri nitida & pura conſpiciebatur, *De ſedibus & cauſis morborum lib.* IV. *epiſtol.* 58. *art.* 11. & 12. *Cel.* LIBAVIUS in femina venerea totum os temporale dextrum cum dimidio oſſe bregmatis carie conſumptum & cerebrum ad ventriculos uſque deſtructum vidit, hinc ſopore mors ſuccedat. *Ephem. Nat. Curios. Cent. VIII obſ.* 21. p. 284. In ſcorto ope mercurialium aliquot pollicum fragmentum oſſis frontis a diploe cranii ſeparabatur remanente fœdiſſima cicatrice. TRIOEN *Obſervat. faſciculus* p. 45. Hujusmodi ſeparationis exemplum etiam adnotavit STALPART VAN DER WIEL. *Centur. prior. obſerv.* 4.

1. *Caries topica*, quæ unam ſolummodo in oſſe locum occupat. Ut plurimum a prægreſſa inflammatione perioſtei, topho, vel gummi in ſuppurationem abeunte, rarius ab ulcere cutaneo ad os rodente oritur.

Curatio exigit applicationem ſublimati cum melle roſaceo & tinctura myrrhæ vel maſtichis. *Interne* detur mercurius gummoſus cum aſa fœtida, decocto ſarſaparillæ & mezeræi.

2. *Caries universalis* eſt caries quæ totam fere ſuperficiem in uno vel pluribus oſſibus occupat. *) *Noſcitur* quod pluribus locis partes molles os carioſum tegentes exulcerentur.

---

*) *Cel.* Knolle in *Diſs. de oſſium carie venerea* quatuor crania in plurimis locis cranii & faciei carioſa deſcribit. p. 18. Totam compagem oſſium, pelvim conſtituentium, in ſceleto pueri, tam foraminulentam, quam ullum unquam eſſe poteſt lignum carioſum putridumve, idque ex lue venerea hereditaria, vidit Hoffmannus. Vide Olitzsch *Diſs. de ſpina ventoſa. Lips.* 1672. §. IV. *Cel.* Cheselden in ſua *Oſteographia or, the Anatomy of the bones Lond.* 1733. *Tab.* XLII. Fig. I. ſceletum feminæ venereæ deſcribit, cujus vix ullum os fuit ſanum. Habuit Nuckius ſceleton, vid. Heyne *Tentamen de præcipuis oſſium morbis* §. 29. laſciva ex venere

Curatio eadem eſt tentanda ac in priori ſpecie, rarius autem in univerſali carie ſuccedit, hæc enim ut plurimum tabe necat.

SPINA VENTOSA VENEREA.

Eſt oſſis corruptio in meditullio oſſis incipiens & extrorſum pergens.

Eſt morbus frequens infantum a parentibus venereis genitorum. Spina ventoſa adultorum fere ſemper venerea eſt.

Oſſa minora manus pediſve ac oſſium longorum extrema afficere amat.

1. *SPINA VENTOSA INCIPIENS*, noſcitur dolore profundo, oſteocopo, diu durante, demum rubente & tumente cute externa carioſum locum tegente.

Curatio exigit interne uſum mercurii gummoſi. *Externe* unguentum mercuriale applicetur.

2. *SPINA VENTOSA APERTA*, pars affecta demum rubentem ac ſpongioſum tumorem pluribus foraminibus ſe exulcerantem contrahit.

---

ita carioſum & infinitis foraminulis pertuſum, ut vix ac ne vix quidem cohæſerit; propterea brevi hac inſcriptione ab eo exornatum: *Amor intimis inhæret medullis.*

Curatio. Detur interne mercurius gummosus vel aquila alba cum asa fœtida ac decocto corticis peruviani, mezeræi, cicutæ & sarsaparillæ. *Externe* applicetur ulceri essentia mastichina cum sublimato corrosivo ac melle rosaceo; dein tumor tegatur unguento neapolitano. Hac methodo ego plures ægrotos sanavi.

MOLLITIES VENEREA OSSIUM.

Est ossis flexilitas a viru venereo.

1. *MOLLITIES TOPICA*, quandoque unus alterve locus in osse ut in tophis videre est ceræ adinstar emollitur.

Curatio ut in topho instituitur.

2. *MOLLITIES UNIVERSALIS*, quæ plura vel omnia ossa simul aggreditur. *Signa* mollitiei universalis sunt; statura corporis prægresso dolore osteocopo decrescit; æger stare nequit; urinæ sunt calcareæ, turbidæ; ossa curvantur; curvata facile extendi possunt, at facile franguntur.

Est morbus *incurabilis*. Nec inunctio mercurialis, nec succi antiscorbutici, nec malti infusum nec rubia tinctorum profuit.

FRAGILITAS VENEREA OSSIUM.

Eſt oſſis diſpoſitio, qua a leviſſima cauſa frangitur.

Hoc vitium etiam vel *topicum* vel *univerſale* eſt.

1. *Fragilitas a mollitie ossis.* Noſcitur ex ſpontanea vel facili curvatura oſſis.

   Fractura oſſis emolliti eſt *incurabilis* *)

2. *Fractura ab ariditate venerea ossis.* Noſcitur fractura oſſis ex levi cauſa, abſente flexilitate oſſis. *Curatio* talis fracturæ etiam non eſt poſſibilis. **)

3. *Fractura a carie venerea ossis.* Hæc enim oſſis ſubſtantiam internam depaſcens fracturam oſſis in loco carioſo facile admittit. ***)

   Fractura talis *curari* nequit, niſi locus oſſis carioſi prius exfolietur.

---

*) Hiſtoriam oſſium a viru venereo emollitorum & ſimul fractorum recenſetur. In *mediciniſchen Bemerkungen einer Geſellſchaft von Aerzten in London.* VI. *Band.* 216. S.

**) *Ill.* Van Swieten *Comment.* T. 1. p. 567.

***) *Adverſat. medic. pract. vol.* III. pars IV. p. 580. *Cel.* Reichel de carie venerea oſſis femoris ſponte fracti, obſervationem communicat.

MORBI VENEREI ARTICULATIONUM.

GANGLIA VENEREA.

Sunt tumores cyſticis ſimiles, qui hinc inde circa articulationes in venereis oriuntur.

Tumores cyſtici non venerei frigidæ ſunt indolis ad inflammationes & ſuppurationes minime proni. Tumores autem cryſticos venereos ſubitus ac fugax æſtus, rubor, dolorque intermittens commitatur. Frequenter etiam obſervatur plures talium tumorum ſimul apparere.

A gummatibus oſſeis diferunt ganglia ſua mobilitate. Quandoque a lue univerſali quandoque a latente ut hordeola palpebrarum oriuntur.

Curatio exigit interne mercurium gummoſum, decoctum lignorum aut ſarſaparillæ cum cortice mezeræi. *Externe* ſolutio ſublimati & unguentum mercuriale applicetur. *)

---

*) Homo 35 annorum, qui ſiniſtri teſticuli indolentem intumeſcentiam jam ultra annum a ſuppreſſa gonorrhæa ortum habuit, ſæpius hordeoleis palpebrarum & tribus tumoribus gangliformibus in externo

ANCHYLOSIS VENEREA.

Eſt articulationis immobilitas a viru venereo orta. *Species* ſunt

1. *ANCHYLOSIS AB HYPEROSTOSI.* Noſcitur tactu ipſius oſſis extremi tumidi. V. *Hyperoſtoſis.*

2. *ANCHYLOSIS A SYNOVIA INSPISSATA*, Tumor articulationis magis globoſus eſt, nec præceſſit tumor inflammatorius, dolens articulationis.

Curatio exigit internum uſum mercurii gummoſi & decoctum lignorum, vel mezeræi *Externe* ſolutio ſublimati inſtar fomenti applicetur, aut unguentum mercuriale cum gummi ammoniaco.

3. *ANCHYLOSIS A PHLOGOSI LIGAMENTORUM.* Tumor in ſuo exordio eſt dolentiſſimus, de nocte aliquantum rubens.

Curatio exigit in ſtadio inflammatorio mercurium gummoſum cum emulſione nitroſa & purgante antiphlogiſtico. *Externe* mel

---

genu latere cruris ſiniſtri prehenditur, ſimile ganglium in dextri genu latere interno at valde dolente & rubente vexatur; dato mercurio gummoſo nova jam ultra annum ſuppreſſa gonorrhæa rediit, evaneſcitque tumor teſticuli, ac ganglia intra 6 ſeptimanas integre mox dicta methodo curabantur.

mandragoræ cum unguento neapolitano applicetur. Quandoque applicata ſolutio aquoſa ſublimati profuit.

MORBI VENEREI SEXUS FEMINEI.

MORBI PARTIUM GENITALIUM.

LEUCORRHÆA VENEREA
SEU
FLUOR ALBUS VENEREUS.

Est muci puriformis ſtillicidium ex vagina muliebri a viru venereo ortum.

Contrahitur ut plurimum a coitu cum viro gonorrhæa venerea affecto, rarius per lactationem infantis venerei, aut ab hæreditate oritur.

Signa quibus leucorrhæa venerea a non venerea diſtinguitur ſunt,

1. *Subitanea invaſio* mali uno alterove die poſt coitum impurum. Benigna lente incipit.
2. *Ardor vaginæ* aut *dyſuria*, quæ recentem gonorrhæam non raro comitatur. Benigna ſine dolore eſt niſi inveterata ſit.
3. *Puſtulæ prurientes* aut *ulcuſcula aphthoſa in ſinu muliebri*, quæ leucorrhæam

veneream etiam non diu durantem comitatur; nam aphthæ leucorrhæam benignam valde jam inveteratam folummodo fe comites jungunt.

4. *Humor puriformis*, flavo-viridefcens e vagina manans, qui in benigna vel mucofa vel lactiformis folummodo eft.

5. *Infectio viri fani* cum gonorrrhæa venerea, quod certiffimum eft fignum.

Species varietatum funt leucorrhæa *fimplex*, *complicata*, *inveterata*.

1. *LEUCORRHÆA SIMPLEX*, eft illa quæ in glandulis muciparis inferiorem vaginæ ambitum obfidentibus fedem habet. *Nofcitur* effluxu muci puriformis ex vaginæ cavo.

Hæc fpecies ut plurimum fine dyfuria at cum levi vaginæ ardore atque pruritu finus muriebris incipit, diu durat, demum effluens humor mere mucofus evadit & pedetentim at lente ceffat.

Ob humiditatem vaginæ leucorrhæa in feminis difficilius curatur & diutius durat, quam gonorrhæa in viris.

Curatio exigit.

1. *pulverem eccoproticum.*

2. *Decoctum bardanæ*, quod primis feptimanis datur; dein

3. *pulverem eccoproticum* cum aliquot guttis balſami copaivæ ac

4. *Injectionem* ex ſolutione ſublimati corroſivi, quater de die repetendam.

2. *LEUCORRHÆA COMPLICATA*; quæ cum inflammatione *urethræ* vel ejus *orificii* vel cum inflammatione *glandulæ ſantorianæ* complicatur. *Noſcitur* viſu ruboris loci inflammati, exitu humoris puriformis ex urethræ oſtio, aut tuberculo inflammatorio glandulæ ſantorianæ, quæ ad latus ſphincteris vaginæ locatur, ac ex dyſuria vehementi ſub & poſt exitum urinæ. Simul ſenſatio corporis e ſinu elabentis percipitur.

Curatio ab initio ſit antiphlogiſtica cum mercurio gummoſo juncta, ut in periodo gonorrhææ inflammatoria. Evanida hac periodo adhibeatur medela gonorrhææ puruleſcentis & continuentur injectiones mercuriales.

Leucorrhæa cum ulcuſculis, puſtulis prurientibus, condylomatibus aut aliis morbis *complicata* tractetur ut hi morbi peculiariter exigunt.

3. *LEUCORRHÆA INVETERATA* ſeu *HABITUALIS*, quæ jam multos menſes aut ultra annum durat. Cauſa hujus ſpeciei vel *atonia* lacunarum muciparum vaginæ vel *ulcus* in utero aut vaginæ ambitu eſt.

α Leucor-

α) *leucorrhœa habitualis mucoſa* ſtillicidio muci tenuis non purulenti & abſentia doloris topici in utero vel vagina noſcitur.

Curatio exigit medicamenta roborantia interna ut vinum roborans ex cortice peruviano, Winterano, foliis gratiolæ, uvæ urſinæ & marte.

Externe convenit injectio aquæ vitriolatæ, aquæ frigidæ, balneum aquæ frigidæ.

β) *Leucorrhœa habitualis ulceroſa*, noſcitur tabo purulento aut ſanioſo exſtillante, dolore topico, exploratione digitali. Leucorrhæa ab uteri exulceratione adſtringentibus ſuppreſſa abit in tympanitidem uteri. V. *Phyſometra.*

Curatio leucorrhææ ulceroſæ exigit ſanationem ulceris in uteri vel vaginæ cavo latentis; hinc vide *ulcus vaginæ* & *ulcus uteri.*

PHLOGOSIS VENEREA GENITALIUM.

Eſt inflammatio venerea in ſinu muliebri vel in vagina uteri.

Hæc inflammatio quandoque *cum* quandoque *ſine* leucorrhæa eſt.

1. *Phlogosis sinus muliebris.* Eſt intumeſcentia labiorum vulvæ ac orificii vaginæ. *Noſcitur* viſu, vulvæ ardore ac dyſuria ſub urinæ exitu.

Curatio exigit purgationem eccoproticam, venæſectionem, ſi inflammatio ingens, emulſionem refrigerantem cum mercurio gummoſo. *Externe* lac mercuriale vel ſolutio aquoſa ſublimati corroſivi forma fomenti applicetur.

Quandoque unum vel utrumque labium in ſuppurationem abit & pluribus aperturis pus eructat, tunc unguentum mercuriale cum emplaſtro diachilon miſtum applicetur.

2. *PHLOGOSIS GLANDULÆ SANTORIANÆ.* Noſcitur ex tuberculo inflammatorio ad latus orificii vaginæ, ingenti pruritu & ardore vulvæ.

Curatio eſt ut in priori ſpecie.

3. *PHLOGOSIS VAGINÆ MULIEBRIS* eſt ardor in ipſa vagina, quandoque pluribus menſibus durans, raro ſine ulcere, multoties ſine leucorrhæa eſt.

Curatio eſt ut in ulcere vaginæ.

INDURATIO VENEREA GENITALIUM.

Eſt induratio venerea vulvæ vel vaginæ muliebris.

Ut plurimum a prægreſſa phlogoſi & validis applicatis injectionibus adſtringentibus oritur.

1. *INDURATIO SINUS MULIEBRIS.* Eſt labiorum integrorum induratio, quan-

doque ſimul vaginæ orificium a tali ſcirrhoſitate admodum arctatum invenitur.

2. *Induratio tuberculosa.* Tuberculum unum vel plura in ſinu vel labiis vulvæ tanguntur. Quandoque etiam vagina talibus ſed minoribus tuberculis plena eſt.

Hæc tubercula inveterata quandoque in peſſima ulcera cancroſa degenerant.

Curatio exigit internum uſum mercurii gummoſi cum extracto cicutæ & gratiolæ. *Externe* fomentum ex foliis cicutæ cum ſublimato, ac de nocte linimentum mercuriale applicetur.

ULCERA VENEREA VULVÆ.

Sunt ulcera venerea in ſinu muliebri, quæ gallis *chanchres* dicuntur.

1. *Ulcera aphthosa.* Incipiunt a puſtulis prurientibus vel a veſiculis cryſtallinis, quæ in ſuperficialia ulcuſcula gryſea vel albicantia abeunt.

Facile curantur elutione vulvæ cum ſolutione ſublimati.

2. *Ulcera serpentia.* Incipiunt a macula lata rubra vel a tuberculo inflammatorio nympharum, aut glandulæ ſantorianæ; valde dolent; ac perpetuo in latitudinem ſerpunt, adeo ut nymphas, cli-

toridem & orificium vaginæ pedetentim erodant, si non brevi legitima medela adhibeatur.

Curatio exigit usum internum mercurii ac *externe* saturata solutio sublimati cum melle rosaceo vel essentia mastichina applicetur.

3. *Ulcera cancrescentia.* Nascuntur ex tuberculis scirrhosis vulvæ, admodum dolent, valde serpunt, ac difficulter sanantur, quandoque in verum cancrum venereum vulvæ abeunt.

Curatio. Præter mercurium gummosum detur cicutæ magna dosis. Externe saturata solutio sublimati & aër fixus applicetur.

ULCERA VENEREA VAGINÆ.

Sunt ulcera venerea in cavo vaginæ muliebris.

1. *Ulcera simplicia.* Sunt ulcuscula superficialia, non multum serpentia, nec adeo dolentia, *Noscuntur* puris effluxo, dolore topico sub exploratione digitali.

Curatio interno usu mercurii gummosi, ac injectione sublimati corrosivi diluta peragitur.

2. *Ulcera serpentia.* Hæc ulcerum species est dolentissima, cum simul inflammatio omnem ulceris ambitum occupet,

ac vaginæ ſuperficies hinc inde in fiſſuras diſſiliat, quæ acerrimam ſaniem perpetuo plorant.

Curatio præter internum uſum mercurii exigit ſimul cicutam; *externe* fiat injectio ex infuſo ſaturato cicutæ cum majori doſi ſublimati quam in priori ſpecie.

3. *Ulcera latentia.* Quandoque ulcera in ſuperiori vaginæ parte reſident, valde parum dolent, ac valde parum ſaniei eructant. Talia ulcera nullum notabile ſymptomata, quo ſui præſentiam redderent ſignum, producunt. Nec enim fluor albus, nec dolor aut moleſtia in reddenda urina obſervatur. Leves enim vaginæ dolores, quos ſub coitu aut exploratione digitali in loco ulceroſo percipiunt, longe aliis & innocentibus cauſis adſcribunt.

Hinc femina talis poteſt eſſe infecta, quæ poſt omnem viſitationem ac inſpectionem genitalium ſana videtur, & quin ipſa ſe infectam eſſe ſciat. Inde quandoque viri gonorrhæa vel ulcere glandis inficiuntur a femina, quæ saniſſima apparet. *)

Curatio ut in priori ſpecie eſt inſtituenda.

---


*) *Ill. L. B.* de Störck *præcepta med. pract.* T. II. p. 135.

4. *ULCERA URINARIA.* Sunt ulcera ex vagina in urethram vel in vesicam penetrantia. Si in urethram solam penetrant, tunc urina solummodo sub emissione in vaginam penetrat, si vero ulcus ipsum collum vel cavum vesicæ perforet, tunc urina continuo in vaginam stillat.

Curatio est in priori casu facilior, in altero difficillima. Candelula cava balsamo mercuriali illita, urethræ vel vesicæ cavo imittenda. In vaginam injectio mercurialis facienda.

5. *ULCERA STERCOREA.* Sunt ulcera, quæ ex vagina in intestinum rectum adeo penetrant, ut fœces alvinæ saltem liquidiores per vaginam exeant.

Curatio difficillima. Tentetur injectio mercurialis in vaginam, & immissio tubuli latioris ex candelula formati, ut exitus fœcis in intestinum prohibeatur, sic sanatio ulceris facilitatur.



MORBI VENEREI UTERI.

MENOSTASIA VENEREA.

Est catameniorum emansio a viru venereo.

1. *MENOSTASIA A LEUCORRHÆA.* Permultas vidi feminas fluore albo venereo

laborantes, quæ ultra annum jam catameniis carebant. Omnibus his mercurius gummosus per mensem datus catameniorum fluxum felicissime restituit.

2. *MENOSTASIA A LUE UNIVERSALI.* Quandoque sine leucorrhææ presentia menstrua deficiunt, cum virus venereum sanguinem inviscat, aut uteri obstructionem pariat.

Curatio exigit mercurium gummosum.

EXULCERATIO VENEREA UTERI.

Est exulceratio in interna uteri superficie vel in ejus orificio.

Sequitur ut plurimum leucorrhææ inveteratæ suppressionem.

1. *EXULCERATIO CAVITATIS UTERINÆ.* Signa, totam fere uteri superficiem esse miasmate venereo exulceratam, sunt ardor in regione uteri, fluor albus saniosus, dysuria atque tenesmus vesicæ urinariæ, emaciatio totius corporis, febris hectica.

Curatio ut plurimum incassum vel difficillima est. Exigit autem internum usum mercurii gummosi cum decocto saturato sarsaparillæ ac lacte.

Externe injectiones ex cicuta & sublimato non in solam vaginæ sed in ipsius uteri cavum ope instrumenti apti fiant.

2. *EXULCERATIO ORIFICII UTERINI.* Symptomata sunt eadem at mitiora, digito explorari potest orificium lacerum ulcerosum.

Curatio est tentanda eadem.

PHYSOMETRA VENEREA
SEU
TYMPANITES UTERI VENEREA.

Est uteri intumescentia ab aëre & humore sanioso uteri cavum distendente.

Sequitur ut plurimum uteri chronicam exulcerationem.

1. *PHYSOMETRA AB ORIFICIO UTERINO CONCRETO.* Prægressis uteri exulcerati signis oritur in sede uteri tumor hypogastrii, constans, rotundus, elasticus, levis; nullus e vagina crepitus aut subitaneus humoris saniosi effluxus observatur.

Curatio ob orificium uteri concretum non exspectanda.

2. *PHYSOMETRA AB ORIFICIO UTERINO OBDURATO.* Prægressis uteri exulcerati signis subito intumescit uterus, ut in priori specie, at quandoque simul

ſubito humor ſanioſus & acris cum crepitu vaginali ſeu aëris fœtidi exploſione ex vaginæ cavo erumpentis quam aliqualis uteri tumidi conſidentia ſequitur, percipi ſolet. *)

---

*) *Ill.* L. B. de Störck tympanitidem uteri binis in feminis obſervavit. *V. annus medicus ſecundus*, p. 204. Ambæ hæ feminæ a pluribus annis peſſimo fluore albo venereo laborarunt, & materies effluens fuit penitus ichoroſa, putridiſſima & adeo acris, ut totam vaginam & pudendorum labia corroſerit. Urina ſemper erat ſtrangurioſa; Multis tandem medicamentis effectum eſt, ut in una harum feminarum fluor albus ceſſaverit & ulcera vaginæ & vulvæ coierint; in altera vero fluor reddebatur minus frequens & minus moleſtus. Ambæ tamen hæ feminæ continuum ardorem & dolorem rodentem in hypogaſtrio quandoque magnas anxietates, teneſmos uterinos, & dolores tendentes verſus inquina & uteri vaginam adverterunt; hos teneſmos ac leve animi deliquium excipiebat & dein plures fœtidiſſimi flatus magno cum ſtrepitu & ſumma cum violentia per anteriora ex utero explodebantur, & mox ſequebantur materies ſanioſa, flocculenta, ignis inſtar urens, corrodens. Brevi autem hæc materies iterum ceſſavit fluere. Poſt unum, binos, vel ternos dies eadem denuo ſymptomata redierunt, erupere flatus & materies peſſime fœtens vi quaſi propulſa eſt. Dum hæc per plures ſeptimas obſervata ſunt tunc cepit tumor in hypogaſtrio comparere, qui valde durus, valde elaſticus & ſubrotundus fuit;

Curatio difficillima & incerta. Interim detur interne mercurius gummoſus cum decocto ſaturato ſarſaparillæ. *Externe* tubulo argenteo orificium uterinum ſervetur apertum, ut humor acris ex cavo effluere ac injectiones mercuriales in uteri cavum fieri poſſint.

---

hic autem tumor poſt quemlibet flatum & materiei per anteriora exploſionem minor videbatur, & mollior. Moles hujus tumoris ſenſim aucta eſt. Verum quo major fiebat tumor, eo minus frequens fuit flatuum exploſio; imo ſenſim hæc penitus ceſſavit, & tunc tumor longe citius & manifeſtius increvit. Ambæ hæ ægræ continua febricula affectæ erant, circa veſperas autem habuerunt magnas & frequentes horripilationes, & ſecutus eſt ingens calor cum ſiti non exſtinguenda. Inde ſomnus inquietus, delirium & tendinum ſubſultus ſequebantur; Tandem poſt diuturnam corporis extenuationem anima efflabatur. Symptomata in binis his ægris erant prorſus ſimilia. Alvus erat toto morbi tempore libera, urina vero fuit ſemper teneſmoidea, ſtrangurioſa, fœtida.

In prima femina, cujus fluor ex uſu medicamentorum penitus ceſſavit, ſectione anatomica inventus eſt uterus durus, elaſticus, & magnitudine caput viri adæquans. Cum chirurgus ſcalpello in cavum penetravit, aër ſumma cum violentia prorupit, & vehementiſſime fœtebat. Ulteriori ſectione repeꝛiebatur in uteri cavo materies ſanioſa, fœtidiſſima.

MORBI VENEREI MAMMARUM.

INFLAMMATIO VENEREA MAMMARUM.

Est tumor inflammatorius in mamma a viru venereo ortus.

1. *Inflammatio papillæ.* Hæc ut plurimum a lactatione infantis venerei oritur. Cutis circa papillam intumescens, papillam occultat.

Uteri autem substantia erat tenuis, membranacea, lamellæ internæ erant omnes exulceratæ & sphacelo corruptæ. Os uteri fuit penitus induratum, concretum, ea autem parte, qua cavum spectabat, corrosum. In vagina deprehensæ sunt variæ excrescentiæ fungosæ & innumeræ cicatrices.

In altero cadavere inventus est uterus inflatus, elasticus, mole autem multo minor, quam in cadavere priori; cæteroquin in ejus cavo fuit similis materies saniosa, & copiosissimus aër valde fœtens. Cavum uteri erat quoque penitus exulceratum, corrosum, fœda quoque ulcera in vagina reperta sunt. Os uteri hoc in cadavere non erat concretum, verum obstruebatur sanguine grumoso, polyposo; præterea sanie valde erat exesum. Vagina tota & vulvæ labia erant undequaque exulcerata.

2. *Inflamnatio glandularis.* Oritur tuberculum profundum, calidum, durum, quod buboni inquinali ſimile eſt. Difficulter reſolvitur ac difficulter in ſuppurationem abit. Quandoque glandulam ſubaxillarem induratam ſimul comitem habet.

Curatio exigit internum uſum mercurii. Externe ope aquæ vegetomineralis ſublimati ſolutione mixta vel fomentum vel addita mica panis albi cataplaſma fiat reſolvens.

Si reſolutio non ſuccedat, procuretur ſuppuratio, & tractetur ut bubo inquinalis.

ULCUS VENEREUM MAMMÆ.

Eſt ulcus in mamma a viru venereo ortum.

1. *Ulcus* ſeu *chancre papillæ.* Ut plurimum a lactatione infantis venerei, vel lactis exſuctione a ſuctrice venerea oritur. Solam papillam vel diſcum ejus ſimul occupat.

2. *Ulcus cutaneum.* Hoc cutem ac pinguedinem ipſius mammæ late erodit. Oritur cum prægreſſa lata macula venerea a lue univerſali vel latente.

Curatio præter uſum internum mercurii gummoſi externe balſamum mercurialem aut ſolutionem ſublimati exigit.

CARCINOMA VENEREUM MAMMÆ.

Eſt tumor durus, lancinans, ac decolor in mamma a viru venereo ortus.

1. *CARCINOMA SCIRRHOSUM.* Eſt tumor ſubdurus, lancinans, decolor, clauſus vel exulceratus.

Diſtinguitur carcinoma venereum a cancro vero

1. Quod cancer verus ut plurimum trade, venereus *cito* increſcat.
2. *Durities* eſt in cancro vero lapidea quaſi, in venereo elaſtica ut in phlegmonoideo tumore, & non profunda eſt.
3. *Pus* in venereo flavo-virideſcens in vero cancro ſanioſum, brunum.
4. Verus cancer a mercurio exaſperatur, venereus curatur.

Curatio exigit internum uſum mercurii gummoſi, cum cicuta gratiola & ſarſaparillæ decocto. *Externe* emplaſtrum mercuriale & ſolutio ſublimati coroſivi applicetur. Si curatio non ſuccedit, fiat exſtirpatio mammæ. *)

---

*) Vidit *Ill.* SAUVAGES *Noſol. meth.* T. II. p. 549. in muliere venerea tumorem exulceratum, infantili capite maiorem, uſu mercurii ad pugni magnitudinem cito rediiſſe, verum non omnino ſanari po-

2. *CARCINOMA FUNGOSUM.* Est tumor fungosus, lancinas a viru venereo ortus.

Curatio exigit mercurium gummosum cum saturato decocto sarsaparillæ; aut his nil proficientibus fiat excisio tumoris. *)

3. *CARCINOMA GANGRÆNOSUM* seu *NOMA VENEREUM.* Est ulcus gangrænosum venereæ indolis. *Noscitur* ortu tuberculi rubroflavi quod intra paucum tempus in ulcus valde profundum, gangrænosum, margine rubroflavo circumdatum valde fœtens & dolens abit.

Curatio exigit ut interne mercurius gummosus cum cortice detur. *Externe* solutio

---

tuit hoc carcinoma, hinc reliquus tumor exscindi debuit. Vidit in mamma puellæ, dudum siphilliticæ duos tumores, qui ovi gallinacei magnitudinem habebant, cum dolore lancinante & glandulis duris tuberosis ad axillam extensis, post tres menses adhibito spiritu antivenereo evanuisse simul cum ulceribus faucium. Credidit *Cel.* BIERCHEN in *libello de cancro* scrophulosas indurationes omnes esse a venereo viru degenerato, hinc carcinoma scruphulosum & venereum idem esse atque mercurio sanari, quem aliud carcinoma non fert.

*) ADOLPH. FRIDRICH VOGEL *Chirurgische Wahrnehmungen* 1. *Sammlung.* S. 26. Excrescentia fungosa papillæ mammalis sarsaparillæ decocto contabescebat.

ſublimati corroſivi ſpirituoſa ope lintei carpti applicata profuit. *)

MORBI VENEREI INTERNI.

FEBRES VENEREÆ.

VENEREA SIMPLEX.

Est febris continua acuta a viru venereo orta. Quandoque mox poſt coitum impurum ſine genitalium infectione; quandoque a bubonibus evaneſcentibus, aut a gonorrhæa ſuppreſſa incipit.

---

*) *Celeber.* BIERCHEN ſola externa ſpiritus mercurialis ſaturati applicatione, quem ex 4. granis mercurii ſublimati corroſivi & una ſpiritus vini uncia compoſuit, plura talia carcinomata ſanavit. Opinatur illam cancri gangrænoſi ſpeciem, quæ *noma* vocatur & quæ buccas infantum adeo cito deſtruit etiam venereæ indolis eſſe cum etiam ſpiritu mercuriali ſanari poſſit. V. *Abhandlung von den Kennzeichen der Krebſchæden* p. 84. 82. & 120. Nomæ tales cancroſæ in ſcroto & labiis vulvæ obſervatæ remedio eodem curabantur.

Nonnunquam 20 aut 30 pluresque dies durat, quandoque vero paucos post dies jam iterum desinit. *)

Iudicatur hæc febris quadruplici modo

1. per *sudorem* copiosum ac fœtentem.
2 --- *urinam* turbidam, copiosam, fœtentem & ardentem.
3. --- *gonorrhœam* aut *Leucorrhœam* redeuntem.
4. --- *metastasim* veneream ad *cutim*, unde miliaria, maculæ coloris cuprei aliique morbi cutanei; ad *viscera* inde variorum viscerum dolor ardens, chronicus; ad partes *musculares* inde arthritis & cephalæa febrem veneream sequuntur.

Curatio hujus febris exigit.

1. *Venæsectionem*, si febris vehemens aut plethora observetur.
2. *Purgans antiphlogisticum*
3. *Emulsionem refrigerantem*
4. Decoctum saturatum *sarsaparillæ* & *dulcamaræ*
5. Pillulas ex *mercurio gummoso*.

---

*) *Ill. L. B. de* STÖRCK *præcepta medico-practica* T. II. p. 131. & ejus *annus medicus secundus* p. 221.

VENEREA

VENEREA INFLAMMATORIA.

Eſt febris continua acuta, quæ inflammationes venereas comitatur.

Obſervatur in gonorrhææ ſtadio inflammatorio in inflammatione teſticulorum, præputii, glandulæ proſtatæ, glandularum inquinalium, in ophthalmia gonorrhoica & in inflammatione faucium.

Cum inflammatione incipit ac ea deſinente deſinit, noctu ſemper obſervatur vehementior.

Curatio exigit *venæſectionem*, decoctum *ſarſaparillæ* cum *nitro* ac *mercurio gummoſo*.

VENEREA LENTA.

Eſt febricula chronica, quæ *tabem veneream* comitatur.

Oritur ab ulcere latente vel aperto, cujus pus in vaſa abſorbetur. Comitatur hinc ulcera uteri, pulmonum, medullæ oſſium

Curatio exigit ſanationem ulceris. v. *Phthyſis venerea*.

VENEREA BILIOSA.

Eſt febris a ſaburra bilioſa primarum virum, quæ venereos ſæpe corripit.

Non proprius ſed acceſſorius luis venereæ morbus eſt.

Noſcitur lingua ſordida, inappetentia, tempeſtate bilioſa.

Curatio exigit emeto-catarſim, & dein antibilioſa ut palpam tamarindorum cum cremore tartari. *)

VENEREA INTERMITTENS.

Eſt febris quotidiana, tertiana, vel quartana, quæ a viru venereo oritur.

1. *INTERMITTENS VENEREA IDIOPATHICA*, quæ ab ipſo viru venereo oritur. Hæc ſpecies cortice peruviano non fugatur, ſoli mercurio cedit. **)

2. *INTERMITTENS ACCESSORIA*, quæ a ſua propria cauſa ortum habens venereos aggreditur.

Hæc ſpecies cortice peruviano cum mercurio combinato *curatur.* ***)

---

*) *Celeb.* STOLL *Rationis medendi part.* II. p. 266 & ſequent. Sub uſu mercurii quandoque ſaburram ventriculi vel naſci vel turgere vidi.

**) Exempla febris quartanæ a lue venerea ortæ refert *Cl.* MONROO *Eſſays d'Edimb. Vol. V. obſ.* 47. fruſtra enim remedia adverſus febrim præſcribebantur, hæc enim potius venereum morbum graviorem reddebant, præſcripto autem mercurio dulci ad ſalivationem uſque continuato poſt unicum adhuc paroxyſmum & febris & ſymptomata venerea ceſſarunt. Similia exempla referunt BALLONIUS *oper.* T. II. p. 97. & 117 nec non DEIDIER *de morb. venereis. obſ.* 4.

***) Quando febris intermittens minime a viru venereo

SPASMI VENEREI.

TETANUS VENEREUS.

Est spastica contractio omnium musculorum spinæ dorsi, maxillarum, & artuum.

1. *Tetanus a lue universali* qui ex præsentibus luis venereæ signis noscitur.

Curatio exigit mercurium gummosum cum opio vel si ob maxillarum clausuram mercurius deglutiri non posset, applicentur enemata ex mercurio gummoso & opio; fiantque simul ad salivationem usque frictiones mercuriales.

2. *Tetanus a lue latente*, qui ex diu prægressis morbis venereis suspicari potest. *)

Curatio est eadem.

---

pendet, sed accessorius tantum labis venereæ morbus est, tunc remedium antifebrile & antivenereum combinari debet, ut eodem tempore uterque morbus tollatur. Ex hac combinatione ego aliique felicissimos effectus viderunt. Vid. *Cel.* Werlhof *oper.* T. 1. p. 133. & *Cel.* Theden *Unterricht für Wundaerzte.* p. 117.

*) Riverius *Opera Medica universa*, *Lugd.* 1664. p. 130. obs. X. Amputato brachio & vulnere cicatrisato

EPILEPSIA VENEREA.

Eſt periodica totius corporis convulſio cum ſenſuum feriatione.

1. *Epilepsia ab exostosi interna cranii.* Suſpicari poteſt ex dolore fixo in quodam loco ſub cranio.

Tentetur mercurius gummoſus & decoctum mezeræi. Poſſet etiam pro remedio extremo trepanatio in loco dolente inſtitui.

2. *Epilepsia a lue latente.* Eſt epilepſia infantum a parentibus, qui olim lue venerea laborarunt, natorum. *) *Tentetur* ſyrupus ex mercurio gummoſo.

---

oriebatur tetanus, reireratur amputatio at incaſſum. Suſpicabantur medentes ex mala ſanata olim gonorrhæa virus ſyphiliticum in amputati ſanguine latere, ideo adhibent litum mercurialem & ptyaliſmo excitato æger a convulſionibus immunis evaſit. Interim cum mercurius tetanum, ex alia cauſa ortum, etiam curet, non adeo certum eſt, tetanum hunc a lue originem habuiſſe.

*) *Ill.* Rosenstein l. c. p. 650. & *Cel.* Bloch l. c. 178. Puerum 6 annorum, qui jam a tribus fere annis epilepticis, incerto tempore recurrentibus, inſultibus, tinea capitis, ac quatuor ſpinis ventoſis, dorſum manuum ac pedum obſidentibus, laboravit, uſu interno mercurii gummoſi, aquilæ albæ ac aſæ fœtidæ intra ſeptem menſes ſine excitata ſalivatione curavi. Ulcera ſpinæ ventoſæ ſolutione ſublimati mellita & unguento neapolitano deligebantur. Omni altero die utebatur thermis budenſibus.

ADINAMIÆ VENEREÆ.

LANGUOR VENEREUS.

Est lassitudo totius corporis a viru venereo.

1. *Languor a lue latente.* Languor sex annorum diæta lactea & hydrargyrosi instituta sanatus fuit *)
2. *Languor a febre venerea.* Curatur secundum febris diversitatem. V. *Febres venereas.*

PARAPLEGIA VENEREA.

Est paralysis extremitatum inferiorum a viru venereo.

1. *Paraplegia a gonorrhæa suppressa.* Curatio præter usum internum mercurii gummosi exigit, ut gonorrhæa inoculatione revocetur. **)

*) *Ill.* Sauvages. l. c. T. 1. p. 805. & *Illustr.* Van Swieten *Comment.* T. v. p. 385.

**) *Ill.* Sauvages l. c. p. 799. Vidit virum 40 annorum a multis retro annis ulceribus pudendorum laborantem, qui repressa imprudenter gonorrhea, imperfecta extremitatum paralysi, adeo ut pedibus vix insistere potuerit, affectus fuit. Suasit Chirurgus semicupium ex aqua liquore saturni dealbata, inde paraplexia perfecta evasit. Tentata fuit

2. *PARAPLEGIA A TOPHO* vel *ALIO VITIO CIRCA MEDULLAM SPINALEM*, ut a metaſtaſi venerea ad ſpecum vertebralem.

Curatio tentetur ut in topho venereo.

HEMIPLEGIA VENEREA.

Eſt paralyſis dextri vel ſiniſtri dimidii corporis, a vertice ad calcem, a viru venereo nata.

1. *HEMIPLEGIA A SUPPRESSA GONORRHÆA*, quæ eandem curam ac mox dicta paraplegia gonorrhoica poſtulat.

2. *HEMIPLEGIA A VITIO CRANII* vel *CEREBRI*. Sic tophus internæ cranii tabulæ, aut topica cerebri induratio, ſuppuratio, aliudve vitium huic morbo anſam dedit. *)

Curatio difficillima, raro poſſibilis, mercurio & decocto mezeræi, & ſtipitum dulcamaræ tentanda.

---

fruſtra hydrargyroſis & ſublimati corroſivi ſolutio per duos menſes. Vidi ego hominem 53 annorum, tophis venereis laborantem, qui uſu thermarum Badenſium Auſtriæ hemiplegicus reddebatur, uſu autem decocti ſtipitum dulcamaræ ac mercurii gummoſi curabatur.

**) *Cel.* LEVELING *Diſſ. de carie cranii militis quondam venerei, poſtea epileptici, tandem apoplexia defuncti.*

DOLORES VENEREI.

CEPHALÆA VENEREA.

Est capitis dolor a viru venereo.

Vesperi ut plurimum increscit, noctu acerrimus evadit ac si ossa cranii dissilirent, circa auroram remittit.

1. *Cephalæa a lue universali.* In hac specie simul dolores arthritici ac osteocopi in toto corpore adsunt, hicce dolor frontem ac cervicem maxime occupat.

   Curatio exigit internum usum mercurii gummosi ac decocta antisyphilitica.

2. *Cephalæa a topho cranii.* Noscitur ex tumore & dolore topico seu fixo.

   Curatio eadem ut in topho est.

3. *Cephalæa a lue latente.* In hac specie reliqua symptomata venerea desunt, at dolor noctu exacerbatus hujus speciei suspicionem movet; hinc.

   Curatio exigit mercurium. *)

*) *Cel.* Bloch. l. c. 178. Eximiam hujus speciei observationem habet.

AGRYPNIA VENEREA.

Eſt ſomni defectus a viru vel dolore venereo ortum habens.

1) *Agrypnia a dolore.* Dolorum venereorum indoles eſt, ut a nocte & lecti calore augeantur. Hi dolores veſperi ingruunt, media nocte intolerabiles evadunt, ac circa auroram remittunt.

Hinc venerei ſæpe præ dolorum acerbitate lecto ſurgunt, frigido cubiculi pavimento incumbunt ac oriente aurora primum dormire incipiunt. *)

2. *Agrypnia sine dolore.* Venerei quandoque ſine omni vel gravi ſaltem dolore dormire nequeunt. Infantes qui ſolis maculis venereis laborabant forſan ob pruritum venereum media nocte clamaſſe vidi. *Curatio* exigit uſum mercurii.

---

*) Plures morbi noctu exacerbantur, ut febriles, dolores ſcorbutici, at hi morbi ſuis ſignis caracteriticis facile a morbis venereis diſtinguuntur. V. *Ill.* Trilleri *exercitatio de veſpertina morborum exacerbatione* in T. II. *Opuſc. med.* Interim etiam certum eſt, dolores venereos quandoque noctu non exacerbari, ut aliquoties obſervavi. De febre pituitoſa vernali idem obſervavit *Celeberr.* Stoll *Rat. med. pars II.* p. 163.

PLEURODINE VENEREA.

Est dolor thoracis a viru venereo.

1. *Pleurodine a topho costæ* vel *sterni.* Noscitur tumore topico & dolore fixo in costa vel sterno.

   Curatur ut tophus.

2. *Pleurodine a lue latente*, qui suspicatur ex acerbatione nocturna & mercurio cedit.

3. *Pleurodine ab induratione glandulæ thymi.* Noscitur dolore obtuso & fixo sub sterno. *V. Dispnœa.*

COLICA VENEREA.

Est dolor in intestinis vel abdomine, a viru venereo excitatus.

Hicce dolor quandoque *expansus*, ut plurimum autem *fixus* ac chronicus est.

1. *Colica a gonorrhæa suppressa* vel *bubone resoluto.* Hicce dolor colicus ut plurimum indolis inflammatoriæ est, hinc

   Curatio exigit venæsectionem, antiphlogistica, decoctum sarsaparillæ ac mercurium gummosum. *)

---

*) *Ill. L. B. de* Störck. *Annus med. secund.* p. 225.

2. *Colica a lue latente.* Quando poſt impurum coitum non affectis genitalibus colica chronica, noctu exacerbata oritur, tunc ſuſpicio hujus ſpeciei adeſt. *)

Curatio exigit mercurium gummoſum cum ſaturato decocto ſarſaparillæ.

ARTHRITIS VENEREA.

Eſt artuum vehemens dolor, noctu maxime urgens, a viru venereo ortus.

Arthritis venerea potius medietatem, minus ut aliæ arthritidis ſpecies articulos ipſos vexat.

1. *Arthritis a lue universali*, quæ præſentibus aliis ſymptomatibus venereis ingruit, facile noſcitur & ſi non valde inveterata eſt, facile mercurio gummoſo *curatur.* **)

2. *Arthritis a lue latente.* Quæ diu reſolutis bubonibus, ulcuſculisve glandis exſiccatis ſequi ſolet.

Curatio eſt eadem.

---

*) *Cel.* Siemerling *Diſs. de colica ejusque ſpeciebus. Gottingæ* 1778. p. 33. & *Clar.* Berger *ſuper chirurgiæ genuina indole allocutio. Hamburgi.*

**) *Cel.* Herzog *diſs. de morbo articulari, ſpeciatim venereo. Helmſt.* 1768. inveteratum malum mercurio gummoſo curatum.

RHEUMATISMUS VENEREUS.

Eſt muſculi unius vel plurium dolor a viru venereo.

Rheumatiſmus venereus ut plurimum topicus eſt ac noctu exaſperatur.

Curatio mercurium gummoſum cum decocto lignorum & ſarſaparillæ ac balnea tepida exigit.

ISCHIAS VENEREA.

Eſt dolor in regione iſchiatica a viru venereo.

1. *ISCHIAS A BUBONE RESOLUTO.* Bis vidi a bubone evaneſcente dolorem circa articulum femoris & claudicationem ſuperveniſſe.

Curatio exigit mercurium gummoſum, antimonium, ſarſaparillam. *)

*) Duos vidi militum præfectos, quorum quilibet a bubone ſine mercurialibus reſoluto claudicabat & levi dolore iſchiatico laborabat. Unum, qui a tribus menſibus ægrotabat, intra menſem fere mercurio gummoſo & purgantibus integre ſanavi. Alter, qui jam ultra 18 menſes majori dolore iſchiatico affectus erat, febre glioſa prehenditur, quæ metaſtaſim ad locum affectum cauſavit, quam articulationis ſuppuratio, caries & mors ſequebatur. Feminam denique vidi quæ a bubone reſoluto jam ultra duos annos claudicabat, cæterum

2. *Ischias a lue latente.* Ex anamnesi & exacerbatione nocturna hæc species est ab aliis mali ischiatici speciebus noscenda.

Curatio est ut in priori specie instituenda. *)

DOLOR OSTEOCOPUS VENEREUS.

Est dolor in ipsis ossibus a viru venereo excitatus.

1. *Dolor osteocopus a lue universali.* Hic dolor est acerrimus, quasi ossifragus, ac si ossa dissilirent, frontem, cervicem, scapulas, brachia & femora, potissimum vero tibias occupat, adeo ut miseri ægrotantes mollissimis quamvis stra-

---

bene se habuit, ac sine omni dolore fuit. An hæc claudicatio a sola fibrarum mascularium contractilitate remanente?


*) *Cel.* Baglivius dicit; *libro* 2. §. 2. p. 206 virum gravi ischiade laborantem nuperrime curabamus, iritisque optimis præsidiis desperabamus de salute recuperanda, cum vero par transennam nobis ægrotus subindicasset, se viginti abhinc annis, bubonibus gallicis male affectum fuisse, statim suspicionem dedit, ischiadem a fomite gallico pendere; quapropter præscriptis decocto sarsaparillæ, antimonio crudo, cortice nucum &c. paucis diebus interiectis, a gravi ischiade convaluit non sine adstantium stupore.

gulis tecti ignito tamen in furno ustulari sibi videantur. Nox ac lecti calor hos dolores auget, circa auroram remittunt.

Curatio exigit mercurium gummosum ac decocta antivenerea.

2. *DOLOR OSTEOCOPUS FIXUS.* Hic vel a topho aut carie aut osse mollito habet originem.

Noscitur horum morborum præsentia ac eorum ablatione curatur. *V. Tophus & Caries.*



ANHELATIONES VENEREÆ.

DYSPNOEA VENEREA.

Est chronica respirandi difficultas a viru venereo.

1. *DYSPNŒA A LUE LATENTE.* Rarissime dyspnœa symptoma luis universalis sæpius vero morbus venereus larvatus est. Quandoque hoc virus exostoses costarum procreat, aut Lympham pulmonalem inspissando indurationes & vomicas pulmonum producit.

Curatio exigit usum mercurii gummosi cum decoctis antivenereis solventibus.

2. *DYSPNŒA A VITIO TRACHEÆ.* Hic morbus a trachea viru venereo erosa visus & exciso annulo cartilagineo curatus legitur. *)

2. *DYSPNŒA A GLANDULA THYMO TUMIDA.* In multis cadaveribus syphiliticorum, qui dum viverent, dyspnœa laborabant, thymus infarctus, tumescens & putridus inveniebatur. **)

TUSSIS VENEREA.

Est exspiratio sonora & convulsiva a viru venereo.

1. *TUSSIS A GONORRHÆA SUPPRESSA.* Materia gonorrhoica ad laryngem deposita hanc tussim excitat.

Curatio exigit mercurium gummosum & revocationem gonorrhææ.

2) *TUSSIS A LUE UNIVERSALI.* Noscitur symptomatum venereorum præsentia Quandoque hæc tussis *cruenta* est.

Curatio exigit mercurium gummosum cum decocto sarsaparillæ. Solutio spirituosa

---

*) *Memoires de l'Acad. de chirurgie a Paris* Tom. 1. p. 348.

**) *Cel.* LIEUTAUD *historia anatomico-medica.* T. II. p. 91. & 92.

ſublimati corroſivi in morbis venereis pectus afficientibus eſt valde nocua.

RAUCITAS VENEREA.

Eſt vox aſpera & obſcura a viru venereo laryngem afficiente.

1. *RAUCITAS AB EXULCERATIONE LARYNGIS*, ut cadavera quandoque monſtrabant.

Curatio exigit uſum internum mercurii gummoſi cum decocto ſarſaparillæ.

2. *RAUCITAS A LUE LATENTE.* Hominem diu ſcabie venerea, raucitate & tuſſi laborantem mercurio gummoſo & cibis glaciatis a raucitate curatum vidi.



PROFLUVIA VENEREA.

PTYALISMUS VENEREUS.

Est ſalivæ vel muci frequens exſcreatus e faucibus.

1. *PTYALISMUS AB ULCERIBUS FAUCIUM.* Hæc irritando nervos glandularum mucoſarum & ſalivalium ptyaliſmum etiam ſine dato mercurio cauſant.

Curatio exigit ſanationem ulcerum. *V. Angina ulceroſa.*

TENESMUS VENEREUS.

Eſt aſſidua alvum egerendi cupiditas cum pauca ejectione mucoſa.

1. *TENESMUS GONORRHOICUS*, qui ab inflammatione glandulæ proſtatæ oritur.

De *curatione* vide inflammationem glandulæ proſtatæ.

PROCTORRHÆA VENEREA.

Eſt muci puriformis vel puris effluxus ex ano.

1. *PROCTORRHÆA AB ULCERE INTESTINI RECTI*, quod ſæpe ſuppurationem glandulæ proſtatæ ſequitur.

Curatio exigit injectionem ſolutionis ſublimati.

2. *PROCTORRHÆA NON ULCEROSA.* Vidi juvenem condylomatibus ani laborantem, cui ſimul ex inteſtino recto mucus puriformis exſtillabat. *Curabatur* eadem injectione.

PYURIA VENEREA.


Eſt mictus urinæ purulentæ a viru venereo ortum habens.

1. *PYURIA AB ULCERE VESICÆ.* Quando ulcus venereum veſicæ urinariæ cavum afficit, tunc hæc pyuria obſervatur.

Curatio exigit uſum internum mercurii gummoſi cum extracto myrrhæ aquoſo.

2. *PYURIA GONORRHOICORUM.* Circa gonorrhææ finem filamenta mucoſa vel puriformia in urina obſervari ſolent.

Curatur hæc ſpecies ſua ſponte.



EMACIATIONES VENEREÆ.

ATROPHIA VENEREA.

EST totius corporis contabeſcentia ſine febre lenta.

1. *ATROPHIA GONORRHOICA* aut *LEUCORRHOICA.* Quæ gonorrhæas chronicas virorum & leucorrhæas ſimiles mulierum comitatur.

Curatio præter ſanationem gonorrhææ vel leucorrhææ exigit ſtomachica & bonum victum nutrientem.

2. *ATROPHIA AB INDURATIS GLANDULIS MESARAICIS.* Has glandulas non raro in ſcirrhos a viru venereo de-

generare & atrophiam inducere cadavera lue mortuorum docent. *)

3. *Atrophia a lue latente.* Hanc ſpeciem obſervavi in illis qui non integre a lue curati a mercurio abſtinent. Nam dato mercurio gummoſo & decocto ſarſaparillæ brevi pinguiores evadebant.

TABES VENEREA.

Eſt corporis contabeſcentia cum febre lenta, at ſine tuſſi & puris anacatharſi.

1. *Tabes a doloribus nocturnis.* Sic arthritico, oſteocopo dolore & agrypnia venerea laborantes brevi emaciari ac febricula hectica corripi ſolent.

Curatio mercurium gummoſum & decoctum ſarſaparillæ ac lichenis islandici cum lacte exigit.

2. *Tabes ab ulcere venereo*, ut ab exulceratione uteri, a vomica pulmonis vel alius viſceris. Vomica venerea diu quandoque ægrotos emaciatione febrili conſumit, ac demum necat.

Curatio eadem ac in priori ſpecie indicatur, at raro ſuccedit.

---

*) *Ill.* Halleri *de partium corporis humani fabrica & functionibus* T. I. p. 362.

3. *TABES AB ULCERE IN MEDULLA OSSIUM*; hæc noſcitur ex topho carioſo vel carie interna oſſis.

Curatio exigit loci affecti perforationem. V. *Spina ventoſa.*

4. *TABES AB INDURATIONE* ſeu *TUBERCULIS VENEREIS PULMONUM*. Hæc ſpecies ſimul diſpnœam cauſat, & ut plurimum in mortem abit. V. *Dyſpnœa.*

PHTHISIS VENEREA.

Eſt corporis contabeſcentia cum puris expectoratione, tuſſi & febre lenta.

1. *PHTHYSIS PULMONALIS*, quæ ex venereo pulmonum ulcere oritur, ac ex prægreſſa dyſpnœa & expectoratione viſcido-purulenta, morbos venereos ſequente, noſcitur.

Raro hæc ſpecies curatur, præſertim ſi morbus jam diu duravit.

Curatio tentetur mercurio gummoſo, & decocto ſarſaparillæ ac lichenis islandici *) cum cortice peruviano, melle & lacte. *Cel.* MORTON æthiopem mineralem laudat.

2. *PHTHYSIS FAUCIUM*, eſt illa, quæ ex ulceribus fauces multum depaſcentibus oritur. *Noſcitur* ex raucitate.

---

*) *Cel.* REISSE *Diſs. de lichene islandico. Erford.* 1778.

Quamvis pulmones in hac ſpecie ſani ſint, ægrotus tamen purulenta excreatione, tabe corporis ac febre lenta laborat. At hæc ſpecies facilius quam prior curatur.

Curatio exigit ſanationem faucium, de qua vide *angina ulceroſa.*

DE LUE GRAVIDARUM.

Mulieres leucorrhæa venerea laborantes concipere & gravidas ſub tempore graviditatis labe venerea contaminari poſſe experientia docuit.

In utroque caſu virus venereum mediante ſanguine fœtui communicatur.

Gravidæ lue venerea laborantes facile abortiunt. Abortus quandoque, non autem ſemper luis ſigna habet.

Mercurius gummoſus, prius inſtituta venæſectione tuto gravidis, ut obſervavi, datur. *) *Curat* gravidam ac fœtum ſimul a lue.

*) Cum mercurius moveat menſtrua ac ſalivatio exhauriendo matrem, fœtui nutrimentum ſubtrahat, hinc multorum conſilium eſt, ut curatio luis in gravida differatur, donec partus ſit finitus, ne mercurio abortus procuretur. At miaſma venereum omni die magis & magis matrem atque fœtum inficit, nec non ſæpe putris fœtus abortum ſine dato mercurio procurat, hinc opinor gravidis mercu-

DE LUE INFANTUM.

INFANTES luem veneream vel jam in utero a matre venerea vel poſt partum a nutrice venerea contrahere poſſunt.

Hinc lues infantum vel *connata* vel poſt partum *aquiſita* eſt.

1. *LUES, INFANTUM CONNATA.* Tales infantes naſcuntur cum maculis cuprei coloris circa anum, perinæum, ſcrotum, vel vulvam, quandoque circa totum corpus. Hæ maculæ intra aliquot ſeptimanas in ſuperficialia, lardacea & ſerpentia ulcera abeunt. Non raro fauces & comiſſuræ labiorum ſimul eroduntur. Inde vox rauca, clamores nocturni, noctes inſomnes, deglutitio difficilis, tabes, mors.

Quandoque bubones inquinales & in puellis fluor albus cum maculis venereis vel ſtaſtim a partu vel paullo poſt apparent.

2. *LUES INFANTUM LATENS.* Quandoque infantes a matre venerea ſine conſuetis maculis venereis aut alio vitio venereo

---

rium gummoſum eſſe dandum; experientia enim me docuit blandum hoc præparatum mercuriale feliciter ac ſine abortu luem in gravidis curare. Salivatio autem & acria præparata mercurialia ſine periculo in graviditate exhiberi nequeunt.

nascuntur ac per tres quatuorve septimanas sanissimi esse videntur; at hoc tempore elapso palpebræ intumescere & humorem alboflavescentem copiose eructare solent, paulo post si non statim medela adhibeatur, maculæ venereæ genitalium apparent. Hinc lippitudo est primarium luis latentis signum in infantibus. V. *Lippitudo.*

Quandoque virus venereum latens, aliquot post annos ulcera faucium, vel tineam capitis, vel scrophulas, aut epilepsiam causat. V. *Morbos larvatos.*

Ex his ergo patet, primis a partu septimanis non semper dari signa certa, quibus infantem recens natum lue venerea esse contaminatum affirmare possimus. *)

3. *Lues infantum post partum aquisita.* Infantes a sana matre nati

---

*) *Journal de Médicine*, T. 44. p. 207. Parisiis floret institutum, ex quo nutrices matribus, qui infantes suos lactare nolunt, commendantur. Maxima in hoc loco a chirurgis adhibetur cura, ne nutrices venereæ, aut infantes venerei in hanc domum recipiantur. Nihilominus tamen factum est, ut infans lue latente laborans nutrici sanæ traderetur, quo illa & alius infans, qui lue non erat contaminatus, corriperentur. V. Gardane *Détail de la nouvelle direction du Bureau des Nourrices de Paris*, &c. 1775. p. 16.

at nutrice venerea lactati ulcera contrahunt in faucibus, ore, angulis labiorum, vox fit rauca, deglutitio impossibilis; corporis demum macies vitæ finem imponit.

Quintuplex methodus luem veneream in infantibus curandi ab authoribus proponitur.

1. Per *exiguas frictiones mercuriales ipsi infanti applicatas.* At hac methodo infantes brevi hydropicos fieri & perire observatum fuit. *)
2. Per *frictiones mercuriales matri venereæ, infantem lactanti, applicatas.* Etiam hac methodo vidi infantes lue mortuos.
3. Per *frictiones mercuriales sanæ nutrici applicatas.* Sanæ nutricis mammæ ab infante venereo mox infectæ paullo post lactationi ineptæ redduntur; ac raro pro venereo infante nutrix sana etiam magna data pecunia haberi potest.
4. Per *frictiones mercuriales capræ, in quodam loco rasæ, applicatas.* Talis lactatio est valde incommoda & capra brevi cum infante perit.
5. Per *aquilam albam* vel *aliud præparatum mercuriale, infanti* vel *nutrici interne da-*

*) *Cel.* Levret *l'Art des Accouchemens. Paris.* 1761. p. 257.

tum. Hæc præparata mercurialia infantibus vel dyſenteriam vel ptyaliſmum lethalem inducunt.

METHODUS MEA. Ego matri venereæ, ſi infantem lactare valet, pilulas ex mercurio gummoſo & decoctum ſaturatum ſarſaparillæ præbeo; infanti autem ſimul quotidie mane ac veſperi cochleare caffeaceum *ſyrupi mercurialis* ingero.

Hac methodo plures infantes feliciſſime ſanavi cum & ſine lactatione materna vel nutricis.

Simul obſervatio me docuit, infantes jam intra uterum venereos, poſſe mercurio gummoſo gravidæ matri dato, jam intra uterum a lue venerea curari. *)

---

*) Pluribus feminis gravidis lue contaminatis ſub graviditate mercurium gummoſum exhibui ac vidi infantes ſaniſſimos ab his eſſe enixos. Semel tamen vidi in noſocomio Viennenſi S. MARCI, cum adhuc arti obſtetriciæ in hoc loco ſtuderem, infantem, cujus anterior pars colli adeo tumidum fuit, ut capiti æquale eſſet, a matre venerea natum, quæ ſub tempore graviditatis magnam ſpriritus mercurialis copiam hauſit; infans brevi poſt partum obiit. An mercurius ſalivam in fœtu movere non valens hunc tumorem produxit? Summopere doleo quod hunc tumorem in cadavere non cultro indagare potuerim. Sunt demum alii qui dubitant an mercurius gravidæ datus in fœtum penetret; at obſervavit

DE LUE LATENTE.

VIRUS venererum quandoque diu ſine omni excitato morbo in corpore latet.

Lues *latens* nullo ſigno ſe manifeſtat, & coitu tamen quandoque inficit. *)

Cel. LEVRET l. c. p. 46. liquorem amnii in gravidis, quibus durante graviditate frictiones mercuriales applicantur, eſſe cinerei coloris & cuprum rubrum dealbare & §. 421. p. 73. dicit: meconium talis fœtus etiam plumbeum habere colorem. Hinc patet mercurium ex matre gravida in fœtum tranſire.


*) *Cel.* GOULARD, *Oeuvres de Chirurgie*, T. II. p. 19. Hanc ſententiam peculiari obſervatione comprobat. Femina exanthemate quodam cutaneo, papillarum formam præ ſe ferente & ulceribus in variis corporis regionibus laborabat. Cum maritum ante 15 annos bubones & ulcera venerea genitalium infeſtaſſent, ſuſpicabatur GOULARD aliquid virus venerei hic ſubeſſe. Semel quoque uſu mercurialium ſanata erat uxor, cum vero maritus neutiquam perſuaderi poſſet, ut venenum in corpore latens remediis uſitatis exſtingueret, denuo infecta ſupremum demum diem obiit. Maritus vero 25 annos poſtea vixit, nec ullum ſymptoma miaſmatis latentis percepit. Hujus ſententiæ ſtrenuus defenſor quoque eſt *Cel.* PRESSAVIN vide *Traité des Maladies Véneriennes*, a *Geneve* 1773. ubi pag. 22. ſequentem obſervationem adducit: on connoit une femme

Incertum eſt *tempus*, per quod virus venereum in corpore, donec in morbum erumpat, latere poſſit. *)

mariée; on en reçoit du virus: ſon mari, qui la connoit habituellement, ne ſe plaint d'aucun accident, & en effet n'en éprouve aucun. On eſt tenté de croire cette femme ſaine; cependant elle porte dans ſon ſang le virus, qu'elle a reçu de ſon mari, quoique ce dernier ne reprenne pas avec elle les accidents, qu'il lui a d'abord communiqué; elle n'eſt pas moins ſuſceptible de les tranſmettre a tous ceux qui auroient un commerce avec elle. J'ai vu pluſieurs jeunes gens dans pareil cas; ils ne pouvoient ſe perſuader, que des ſymptomes très-caracteriſés du virus vénérien euſſent aucun rapport avec cette maladie; parceque, diſoient-ils, ils ſavoient poſitivement, que la femme, avec laquelle ils avoient eu commerce, couchoit ordinairement avec ſon mari, & que ce mari ne ſe plaignoit, & n'avoit en effet aucun des accidents, dont ils étoient atteints.

*) Vidi ego puellam nobilem a nutrice venerea lactatam, quæ anno ætatis 13 dum menſtruæ eruptionis conamina inciperent ſubito acerrimo fluore albo & peſſimis capillitii ulceribus mercurio ſanatis afficiebatur. Ut miaſma morbilloſum, varioloſum & hydrophobicum diu quandoque antequam in morbum erumpat in corpore latere poteſt, ſic idem quoque de viru venereo obſervatur. *Ill.* Rosen a Rosenstein *Anweiſung zur Kentnis und Cur der Kinderkrankheiten. Götting.* 1774. p. 652 & 671.

Si ſuſpicio eſt virus venereum in corpore latere ut in infantibus matre venerea natis, aut nutrice venerea lactatis vel in adultis qui quondam venereo morbo laborarunt, aut ſi coitus ſanæ apparentis perſonæ inficiat, tunc illico mercurius gummoſus cum decocto ſarſaparillæ & ſtipitum dulcamaræ, quæ virus venereum evolvere dicitur, *) eſt dandus.



DE LUE LARVATA.

VIRUS venereum vel latens vel conſpicuum quandoque morbos in lue venerea non conſuetos producit. **)

pluribus obſervatis id demonſtrat. Puella biennis a nutrice, quæ cibos, quos manducaverat, illi porrigebat, infecta, modo poſt novem annos infectionis effectus ſentiebat. Duo porro infantes germani, a nutrice infecti, ſymptomata infectionis demum ad annum trigeſimum provecti, experiebantur. Vidit infantem qui uſque ad annum undecimum perfecta fruebatur ſanitate, quo autem tempore inſitione variolarum feliciter peracta, luis ſigna apparuere; a matre enim, quæ olim morbo gallico laboraverat, fuit infectus. l. c. pag. 654. & *Ill.* VAN SWIETEN *Comment.* T. v. p. 385.

*) *Ill.* SAUVAGES *noſol. method.* T. II. p. 549.

**) Vide egregiam *Diſſ. Cel.* HAUSMANN *de morbis venereis larvatis. Gottingæ* 1778.

Morbi venerei *consueti* sunt gonorrhæa, ulcera genitalium & faucium, bubones, condylomata, phymosis, tophi, maculæ cuprei coloris, arthritis, cephalæa nocturna.

Morbi *non consueti* sunt febris venerea, tussis, colica, languor, paralysis, epilepsia, tabes &c.

Nullus fere morbus est, quem virus venereum simulare nequeat.

Noscuntur hi morbi

1. Si homo adultus confiteatur se quondam gonorrhæa, vel ulcere glandis vel bubone laborasse; aut
2. Si ejus parens, mater, vel nutrix lue fuerunt contaminatæ.
3. Si morbus omnibus remediis consuetis resistat.
4. Si morbus media nocte augeatur & circa auroram remittat. *)
5. Si ab usu mercurii symptomata morbi mitigentur.

Omnia autem hæc signa *probabilia*, non vero penitus certa sunt ægroti morbum a viru venereo pendere.

Curatio talis morbi suspecti exigit usum mercurii & alia remedia antivenerea.

---

*) Hæc exacerbatio nocturna non autem in omnibus morbis venereis observatur; id ego & alii observarunt. Vide Blochs *Bemerkungen*. p. 181.

DE LUE CUM ALIO MORBO COMPLICATA.

Lues venerea cum omni alio morbo complicata inveniri poteſt.

Talis complicatio quandoque diagnoſim & curationem utriuſque morbi confundit, difficilioremque reddit.

Frequentiſſima luis complicatio eſt

1. Cum *ſcorbuto.* Si ſcorbuticus ſimul venereus eſt, tunc difficillima eſt luis curatio, quia mercurius in ſcorbuticis veneni adinſtar agit. *) Hinc

Curatio ſcorbutio - venereorum exigit ut ab

*) Noxium ſcorbuticis eſſe mercurii uſum obſervationibus docuit *Cel.* Grainger qui ab unica drachma unguenti mercurialis militi ſiphylitico-venereo inuncta ſalivationem ſanguineam, dentium intumeſcentiam & gingivarum putridiſſimarum exſcreationem cum animi deliquiis & ingenti debilitate vidit. V. *Hſtoria febris anomalæ, Batavæ.* p. 6. *in monitis ſiphyliticis. Cel.* Kramer medicus caſtrenſis dicit 400 milites ſcorbuticos mercurii uſu miſerrime periiſſe. *Cel.* Goulard duos milites ſcorbuticos in cubiculum, in quo venerei quidam mercurio curabantur, locatos, a ſola atmoſphæra ſalivantium in capitis intumeſcentiam, ingentem ſalivationem & peſſima oris ulcera incidiſſe obſervavit. Nullus vero authorum evidentius effectum de-

initio remedia antiſcorbutica dentur, dein mercurius gummoſus ſenſim medicamentis antiſcorbuticis addi debet. Infuſum malti cum ſucco naſturtii, cochleariæ vel beccabungæ præ omnibus congruum eſt.

Contractura genuum, quæ uſum mercurii in occulte ſcorbuticis quandoque ſequitur iiſdem remediis antiſcorbuticis egregie curatur.

2. Cum *ſcrophulis*. Venereo-ſcrophuloſis mercurius tuto dari poteſt. Pilulæ ex ſublimato & æthiops mineralis a multis contra ſcrophulas eximie laudantur.

3. Cum *lepra*. De hac complicatione vide *lepram veneream*.

4. Cum *morbo acuto*. Si febris inflammatoria, billioſa vel putrida venereum prehendat, tunc ille raro evadit. *Curatio* autem ad morbum acutum eſt dirigenda.

Lues venerea non, ut quidam voluere, a *peſte* præſervat. *)

---

leterium, quem inunctiones mercuriales in ſcorbuticis vel ſcorbutico-venereis edunt, expertus eſt, quam doctiſſimus chirurgus caſtrenſis HEMPEL vide *Erfahrung und Wahrnehmungen vom Schaarbocke* 1778. pag. 26. qui ab uſu mercurii buccas gangræna conſumptus & mortem exinde ſecutam vidit.

*) *Cel.* CAROL. DE MERTENS *Obſervat. Medicæ de febribus putridis & peſte. Vindobonæ* 1778. pag. 182.

5. Cum *morbis a nimia venere.* Hi non raro lue affectos comitantur. Ab immoderata seminis profusione oritur lassitudo, encephali dolores, epilepsia, fatuitas sensuum omnium, vel maxime visus hebetudo, amaurosis, tabes dorsalis & pulmonica, febricula hectica, pollutio gonorrhoica præsertim nocturna.

Noscuntur hi morbi ex ægroti relatione, ex symptomatibus luem præcedentibus, ex atonia scroti, &c.

Curatio præter exiguam mercurii gummosi dosim exigit

1. *Abstinentiam* a coitu & pollutione.
2. *Victum* ex nutrimentis facillime digerendis ut ex oriza, gelatinis, lacte, præsertim autem lichen islandicus prodest.
3. *Potum* ex hordeo & sarsaparilla cum lacte.
4. *Aerem ruralem.*
5. *Corticem peruvianum* cum marte, tinctura cinamomi & amaris stomachicis, si febricula hectica his non contradicat.
6. *Balnea frigida*, quæ efficacissime corpus enervatum roborant.

6. Cum *morbis a mercurio inductis.* Effectus a dato mercurio, bene ab effectibus, a viru venereo causatis, distingui debent, ne incautus, morbos mercuriales pro venereis

aſpiciens, augendo mercurii doſim ægrotum peſſumdet.

Effectus generales mercurii, nimia doſi dati, ſunt

1. *Sanguinis motus velocior*, adeo ut pulſuum numerus ad 120 & 130 quandoque increſcat.

2. *Rarefactio ſanguinis*, inde plethora ſpuria & febis inflammatoria ab initio curationis mercurialis ſæpe obſervatur.

3. *Reſolutio ſanguinis putrida.* Inde protracta cura febris quandoque putrido-bilioſa cum hæmorrhagiis & mors; aut *ſcorbutus* cum genuum laſſitudine ac gingivis cruentis; inde oris, urinæ ac ſudoris fœtor; inde ſalivatio cruenta.

4. *Ptyaliſmus immoderatus.* Inde corpus exhauſtum, debile, omnibus in articulis quandoque contractum. Inde cynanche in faucibus cum peſſimis ulceribus circa orificia ductuum ſalivalium in interna buccarum ſuperficie ac ſub lingua. Inde ſuffocatio ſalivantium ac mors. Quandoque contrctura maxillarum & buccarum concretio cum gingivis ſuperata ſalivatione remanet.

5. *Depoſitio mercurii* in varia loca, præcipue autem in oſſa. Inde dolores rheumatici,

ci, aut ofteocopi, tremor, hæmoptoe, languor, anevrifmata, epilepfia, & alia mala chronica.

Ex his patet morbos mercuriales in inflammatorios, putridos & chronicos poffe dividi.

Morbi *inflammatorii*, ut febris & cynanche inflammatoria exigit

1. *Abftinentiam* ab omni mercurio
2. *Venæfectionem*
3. *Purgationem* antiphlogifticam, eccoproticam
4. *Emulfionem nitrofam*
5. Decoctum *hordei* cum *nitro* & *gummi arabico.*

Morbi *putridi* ut febris putrida, ulcera oris fœtentia & fcorbutus mercurialis exigunt.

1. Infufum *malti hordeacei* cum *fuccis antifcorbuticis.*
2. *Corticem peruvianum.*
3. *Victum vegetabilem.*

Morbi chronici a mercurio in corpore relicto, ut contractura ligamentorum, rheumatifmi, tremor mufculorum curantur, fi remediis antifcorbuticis fimul jungantur.

1. *Balnea tepida* etiam quinquagies repetita. *)

*) Qui Idriæ fodinis mercurialibus operam navant, citiffime ptyalifmo corripiuntur; fi vero faliva fluere non


2. *Sudorifera* ut dococtum *ennulæ*, aut *imperatoriæ*, essentiam *pimpinellæ at* præcipue *antimonium.* **)

---

incipit, tunc illico tremoribus totum corpus oberrantibus afficiuntur. Balnea; sudorifera & purgantia sola sunt adminicula, quibus hi sanitati restituuntur. In balneorum etiam diu usitatorum fundo semper invenitur mercurius vivus. Etiam in illorum balneis, qui tremoribus a nimium ingurgitatis præparationibus mercurialibus salinis correpti fuere, mercurium vivum fuisse inventum dicitur. Videmus porro dicit *Cel. Prof.* ADOLPH MURRAY senes, pueros & frigidioris naturæ homines ut & feminas tremoribus corripi; illos autem qui calidioris sunt sanguinis ideoque facilius globulos mercuriales subigere possunt, ptyalismo potius prehendi. V. *Cel.* DUBB *Diss. cit.* pag. 9.

**) Miles a longo tempore jam venereus & multiplici mercurii usu nunc extenuatus, valde arthriticus, in naso aliisque locis ulcerosus, ab omni dato mercurio deterius se habuit: præscribuntur misero huic ab *Illustri* nostræ facultatis Directore *Celeberrimo* DE VEZA antimonii crudi grana vij cum ℥i sacchari quotidie sumenda, augebatur antimonii dosis sensim ad ℈ij de die. Pro potu dabatur decoctum lignorum. Ægrotus intra aliquot dies vehementi corripitur diarrhæa, reliquis diebus vehementer quotidie sudabat, arthritis penitus remisit, ulcera, pulvere flamulæ jovis consperso, bonum concipiebant pus, officula nasi cariosa exfolliantur, ægrotus intra aliquot septimanas totus restituitur.

3. Quandoque *purgantia.*
4. *Lac* & in emaciatis *diætam lacteam.*



DE LUIS VENEREÆ PROPHYLAXI.

REMEDIUM, quod impediret, ne vir ſanus cum femina fluore albo vel ulcere vaginæ laborante coiens, viru venereo inficiatur, aut infectus illico iterum a viru liberetur, nondum innoteſcit. *)

LAVATURA membri, ſtatim a celebrato coitu inſtituta, quandoque prodeſſe poteſt, ſi miaſma venereum lacunas urethræ nondum penetravit. Cito autem ut plurimum miaſma poris harum lacunarum abſorberi ſolet.

INUNCTIO MEMBRI ante coitum cum oleo vel linimento mercuriali, aut applicata ad penem pellicula in formam vaginæ efficta, (*Condons*) aliæque nefandæ artes virus non arcent, ut in ægrotis obſervavi.

INJECTIO LIXIVII SAPONARIORUM **) aut *SUCCI CITRI* aqua diluti & ſtatim a coitu finito applicata, aliave a va-

*) *Ill.* ASTRUC, *Libr. de morb. venereis* Cap. II. §. II.

**) *Cel.* KERN *Diſs. de infalibili remedio prophylactico ſiphyleos. Friburg.* 1777.

riis authoribus ebuccinata remedia, ut experientia docuit, ſucceſſu caruêre. *)

Plus adhuc a ſolutione dilutiſſima mercurii *ſublimati corroſivi*, aut *mercurii gummoſi* lacte diluti, ut lavacrum & injectio adhibita, ſperandum eſt; quamvis id pluribus ac directis experimentis experiundum adhuc reſtet

Hinc abſtinentia a *bono* venereo eſt unica adhuc prophylaxis a *malo* venereo.


---

*) *Cel.* GALL *Diſs. ſiſtens criticen prophylaxeos ſiphylidis. Friburgi* 1777. de omnibus remediis prophylacticis ex profeſſo & docte diſſerit. Novum *Celeberrimi* PEYRILHE remedium, nempe alcali volatile, quod ad luem curandam laudatur, peſſime ſemel ceſſiſſe vidi. Idem expertus eſt *Cel.* A MURRAY qui doſim a *Cel.* PEYRILHE præſcriptam in gonorrhæa virulenta & jam inveterata adhibuit. Senſit exinde æger ardorem urinæ vehementiſſimum & lotium ipſum ſanguine mixtum fuit. Dedit igitur ſimul largam decoctorum mucilaginoſorum copiam, verum inſequente die, gonorrhæa ſuppreſſa erat & teſticulus ſiniſter inflammatus. Alio tempore juveni, ulceribus venereis vehementer fœdato, idem remedium cautius tamen præſcripſit; ulcera vero dolore aucto inflammari incipiebant, & ægrotus de tanta inquietudine querebatur, ut a remedio hoc abſtinere coactus fuerit. V. *Cel.* DUBB *Diſs. cit.* p. 5.





FORMULÆ REMEDIORUM IN HOC OPUSCULO LAUDATORUM.



FORMULÆ INTERNÆ.

SOLUTIO MERCURII GUMMOSI.

℞. Mercurii vivi depuratiſſimi ℥j.
Gummi arabici pulveriſati ʒiij
Syrupi cichorei cum rheo. q. ſ.

Conterantur in mortario vitreo, ſenſim adfundendo aliquantum ſyrupi, donec mercurius omnis abiit in mucum. His ſatis ſubactis addantur ſenſim conterendo.

Aquæ roſarum ℥xij

Detur in ampullam vitream. S. mane ac veſperi duo cochlearia lignea menſualia aſſumantur.

Usus. *Hæc ſolutio in omnibus morbis venereis primarium remedium internum eſt, quod cito, tùto ac jucunde miaſma venereum delet. Raro ſalivam movet, ſi omni decimo die pilulæ purgantes vel pulvis purgans exhibeatur. Solutio ex cochleari ligneo aſſumi debet, cochleari enim argenteo vel metallico mercurius adhæret. Quibus ſaliva moveri*

incipit, hi aſſumant purgans & aliquot dies a ſolutione abſtineant.

PILULÆ EX MERCURIO GUMMOSO.

℞. Mercurii vivi depuratiſſimi ʒj
Gummi arabici pulveriſati ℥iij
Syrupi cichorei cum rheo. q. ſ.

Conterantur bene in mortario marmoreo, vel vitreo, donec mercurius omnis in mucum abiit, huic adde
Micæ panis albiſſimi ʒß

Subigantur bene in maſſam pilularem. Fiant pilulæ gr. iij. conſpergantur pulvere liquiritiæ. D. S. mane ac veſperi aſſumantur pilulæ x.

Usus. *Commodior harum pilularum, quam ſolutionis aſſumptio eſt, hinc ab aliquot jam annis frequentiſſime his pilulis magno cum effectu utor.*

SYRUPUS MERCURIALIS.

℞. Mercurii vivi depuratiſſimi. ℈j
Gummi arabici pulveriſati. ℈iij.
Syrupi cichorei c. rheo. q. ſ.

m. conterantur in mortario vitreo donec mercurius abiit in mucum; adde inſuper conterendo
Syrupi cichorei c. rheo. ʒjß.

m. d. u. S. mane ac vesperi detur infantibus cochleare parvum ligneum, dosis sensim augeatur.

Usus. *Infantibus venereis hicce syrupus commodissime adhibetur.*

PILULÆ PURGANTES ORDINARIÆ.

℞. Massæ pilularum Ruffi. ℥ß
resinæ jalapæ
aquilæ albæ aa gr. iv.

m. f. pil. gr. iij. S. assumantur pro una dosi.

Usus. *His pilulis omni decimo die alvum moveo illis, qui mercurio utuntur; hæ pilulæ sæpties vel sæpius alvum facile & certo movent, millenis ægrotis præscriptæ hypercatharsin non causarunt.*

SOLUTIO SUBLIMATI SPIRITUOSA.

℞. Mercurii sublim. corrosivi. gr. vj.
Spiritus frumenti ℔j.

In phiala vitrea stet in digestione, filtretur, & ad usum servetur. S. mane ac vesperi assumatur cochleare unum.

Usus. *Si mercurius gummosus morbum venereum non curet, tentari potest sublimatus corrosivus; laudatur imprimis in morbis venereis cutis & ossium. Ingratus metallicus sapor admixto syrupo quodam aromatico aliquantum corrigi potest. Paulo post assumptionem larga co-*

pia decocti altheæ cum hordeo desuper hauriri debet, ne tormina vel cardialgia excitentur.

SOLUTIO SUBLIMATI AQUOSA.

℞. Mercurii sublimati corrosivi. gr. vj.
Aquæ menthæ. ℔j.
Syrupi papaveris albi. ℥j

Solve exactissime. S. mane ac vesperi assumatur cochleare unum.

Usus. *Aquosa solutio saporem gratiorem, quam spirituosa habet, ab illis, qui spiritum frumenti mercurialem ob ingratissimum saporem metallicum assumere nequeunt, ut mulieres, delicatuli ac infantes, facilius fertur.*

PILULÆ EX SUBLIMATO CORROSIVO.

℞. Mercurii sublim. corros. gr. xv.
Solv. in aqua destillata ℥vj. decantato liquori adde
Micæ panis albissimi. ʒiiß.

m. f. pil. 120 S. mane ac vesperi assumantur pilulæ duæ.

Usus. *Hac forma mercurius sublimatus facilius ac tutius in majori quantitate assumi atque a ventriculo ferri potest, quam in solutione aquosa. Pilulæ enim sensim solutæ non subito ac insimul, ut hausta solutio, ventriculum afficere dicitur. Una pilula $\frac{1}{8}$ grani ex sublimato continet.*

DECOCTUM ALTHEÆ.

℞. Radicis althææ ℥ij
Fol. malvæ
Flor. papav. rhœados aa M ß.
coque in s. q. aquæ per horæ quadrantem, detur col. ℔ij.
S. Omni bihorio cum ſyrupo diacodii vel ſaccharo hauriantur vaſcula duo.

Usus. *In gonorrhϾ & aliorum morborum ſtadio inflammatorio conducit.*

PULVIS ECCOPROTICUS AD GONORRHÆAM.

℞. Rhei electi
Salis mirabilis
Cremoris tartari aa ʒiij.
m. f. pulv. dividatur in jx doſes æquales. S. omni trihorio de die aſſumatur unus.

Usus *Compeſcit urethræ ardorem & pus gonorrhoicum intra aliquot ſeptimanas reddit lymphaticum.*

ELECTUARIUM BALSAMICUM AD GONORRHÆAM.

℞. Rhei electi
Salis mirabilis
Cremoris tartari aa ʒiij
Balſami copaivæ cum ſaccharo bene ſubacti. ʒß.
Electuarii lenitivi. q. ſ.

m. f. elect. S. quater de die assumatur drachma semis.

Usus. *Cessante urinæ ardore ac effluvio jam lymphatico existente, morbum brevi curat, si non nimis magna adest laxitas urethræ.*

ELECTUARIUM ROBORANS AD GONORRHÆAM.

℞. Cort. Winterani
— peruviani aa ℥iij
— aurant.
— cinamomi
Extract. martis pomati aa ℥ij
Syrup. cort. aurantiorum. q. s.

m. f. electuar. S. quater de die assumatur drachma una.

Usus *in lucorrhœa & in lymphatico gonorrhϾ stadio, si morbus incipiat chronicus fieri ac ægrotum emaciet, conducit.*

VINUM ROBORANS.

℞. Limaturæ martis non rubiginos.
Cort. peruviani
— cinamomi.
— Winterani aa ℥ß

m. f. pulv. cui affunde vini generosi austriaci ℔ ij. relinque in leni digestione per 24. horas, dein colaturam per inclinationem exhibe.

m. S. detur ter de die cochleare unum, sensim augendo dosin.

Usus *est ut electuarii roborantis, nempe gonorrhœam ac fluorem album non amplius venereum curat.*

DECOCTUM LIGNI GUAJACI.

℞. Rasuræ ligni guajaci, ℥ij
Coq. in aquæ font. ℔iiß
ad remanent. ℔ij
m. d. S. hauriantur quotidie ℔ij

Usus. *Ante mercurii usum in lue venerea inventum, unicum in hoc morbo majoribus nostris fuit remedium. Convenit subjectis phlegmaticis. Sunt qui addunt decocto huic* argenti vivi & antimonii crudi *in sacculo singulum ligati* ʒj *& vocant decoctum ligni guajaci* compositum.

DECOCTUM LIGNORUM ANTIMONIALE.

℞. Rad. sarsaparillæ
Santali albi & rubri aa ℥iij.
Rad. glycyrrh.
Cort. mezeræi aa ℥ß.
Ligni rhodii
— guajaci
— sassafras. aa ℥j
Antimonii crudi. ℥ij
m. & infund. cum aqua font. ebull. ℔ x per horas 24. dein coqu. ad ℔ v. Collaturæ capiat æger ℔jß sensim augendo dosim ad ℔ v.

Usus. *Hoc decoctum Lisbonæ inter medicos familiare est quo morbos post ptyalismum & usum mercurii liberaliorem residuos tollunt. Vid.* Ill. Murray apparatum medicament. *vol. I. pag.* 338.

DECOCTUM SARSAPARILLÆ.

℞. Radicis Sarsaparillæ ℥iij.
Coq. in aquæ font. ℔iijß ad
remanentiam ℔ij
d. S. Hauriantur quotidie libræ duæ.

Usus. *Optimum diluens & mundificans in lue venerea est. Convenit præcipue subjectis calidis, sanguineis.*

DECOCTUM SARSAPARILLÆ COMPOSITUM.

℞. Radic. sarsaparillæ. ℥ij
Cort. mezeræi. ʒß
coq. in aquæ fontanæ ℔iij ad remanentiam unc. xxx. adde solutionis aquosæ sublimati. ℥j
m. d. S. Hauriantur quotidie per 30 dies ℔ij

Usus *in lue inveterata cutis ac ossium magni usus esse laudatur. V.* Samml. zum gebrauch practischer Aertzte 2. *St.* 85. *S.*

DECOCTUM CORTICIS MEZERÆI.

℞. Corticis e radice mezeræi recentis ℥ß
Coquatur in aquæ fontanæ ℔ vj
ad remanentiam ℔iv

Sub finem adde radicis liquiritiæ ℥j.

Collatura detur. S. Hujus decocti. ℔ß bibat æger quater in die.

Usus. *Laudatur in tophis, nodis venereis, doloribus osteocopis nocturnis, ac tumoribus venereis articulationum.*


DECOCTUM STIPITUM DULCAMARÆ.

℞. Stipitum dulcamaræ recent. ʒß

Aquæ fontanæ ℥xvj.

Coquantur ad uncias xi. S. ter de die bibantur cum lacte ℥iij.

Usus *in exostosi, herpete, arthritide venerea valde laudatur. V.* Journal de Médecine, *T.* 22 *p.* 236.



FORMULÆ EXTERNÆ

SOLUTIO SUBLIMATI PRO USU EXTERNO.

℞. Mercurii sublimati corrosivi. gr. jß.

Gummi arabici ʒj.

Aquæ fontanæ. ℔j

Solvantur conterendo exacte in mortario vitreo vel marmoreo.

Usus. *Inservit hæc solutio pro iniectione in gonorrhœa & fluore albo. In ipsa ophthalmia gonorrhoica hac solutione oculos*

elui curabam; plus autem ſublimati quam gr. jß in libra aquæ nec oculus, nec urethra tulit. Cum mellis ℥j mixta ulceribus loco aquæ vulnerariæ ac faucibus ulceroſis forma gargariſmatis applicatur. Bubones, tophi, phymoſis, ac alii tumores venerei forma fomenti hac ſolutione tegantur.

SOLUTIO SUBLIMATI BALSAMICA.

℞. Eſſentiæ maſtichinæ ℥ij
Mercurii ſubl. corroſivi. gr. vj.
miſce conterendo.

Usus. *Sordida, inveterata, cancreſcentia & carioſa ulcera venerea ſanat, ſi fauces talibus afficiantur ulceribus, tunc hæc ope penicilli bis vel ter de die hac ſolutione tangantur.*

AQUA CAUSTICA PRO CONDYLOMATIBUS.

℞. Spiritus vini rectificati
Aceti deſtillati aa ℥jß
Mercurii ſubl. corroſ. ʒj.
Aluminis crudi
Camphoræ
Ceruſſæ. aa ʒß
m. ſolv. d. u.

Usus *Condylomata ope penicilli hac aqua bis de die illiniantur & dein linimento mercu-*

riali tegantur. Condylomata ſic brevi ac ſenſim evaneſcunt; cutis ſana, condylomatibus intermedia, ab hac aqua non exulceratur.

LAC MERCURIALE.

℞. Mercurii vivi depuratiſſimi ʒj
Gummi arabici pulveriſat. ℥ſs
Syrupi diacodii q. ſ.
m. conterantur in mortario marmoreo ſenſim addendo ſyrupum donec omnia abeant in mucum, cui ſenſim adde
lactis ebullientis vaccini ℥viij.
m. d. uſui

Usus. *In opthalmia gonorrhoica ope vaſculi balneatorii & in phymoſi venerea, forma peniluvii applicetur. Idem lac in angina venerea doloroſa ſub forma gargariſmatis optimo cum ſucceſſu adhibetur.*

BALSAMUS MERCURIALIS.

℞. Unguenti baſiliconis ℥jſs
Mercurii præcipitati rubri. ʒij.
miſceantur exactiſſime.

Usus. *Ad ulcera venerea conſolidanda ad tophos aut ſcirrhos venereos reſolvendos, adhibetur. Eodem cum affectu loco mercurii præcipitati rubri, mercurium dul-*

cem, vel mercurium præcipitatum album cum balſamo quodam mixtum abhibui.

BALSAMUS OPHTHALMICUS RUBER.

℞. Butyri recentis inſulſi. ℥iij
Ceræ albæ ℥ſs. liquefactis adde
Mercurii præcipitati rubri ʒijſs.
Tutiæ præparatæ ʒj
Camphoræ in oleo ovorum ʒſs ſolutæ gr. XLV.
m. f. unguent. S. ter de die lentis magnitudo illiniatur oculo.

Usus. *Corneæ maculas, ulcera & obſcurationes, nec non lippitudinem ac reliquos oculorum morbos venereos, chronicos, egregie curat.*

UNGUENTUM RESOLVENS AD BUBONES.

℞. Unguenti de arthanita
––– neapolitani. aa ℥j.
Pulv. rad. mandragoræ. ℥jſs
Mellis communis. q. ſ.
m. f. lenimentum.

Usus. *Ad bubones induratos reſolvendos laudatur. Inungatur bubo mane ac veſperi & dein tegatur hocce unguento.*



